UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# D. Marcvs Evangelista. Rodolphi Gvaltheri Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundum Marcum Homiliæ CXXXIX.

**Gwalther, Rudolf**

**[S.l.], 1570**

**VD16 W 1048**

Capvt X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71833

Visual Library

*& vt muli mutuum ſcabentes priuatis modò commodis ſtudent. Quæ vitia niſi emendent, contemptum hunc, quem modò impatientius ferunt, mox grauiora mala et tandem extremum interitum ſequi ſentient.*

*Cæterum ad Chriſti verba redeamus, qui tertiam rationem ab vtilitate producit, cuius reſpectu homines plurimùm mouentur. Habete (inquit) in vobiſipſis ſalem, & pacem habete inter vos inuicem. Videtur ijs occurrere, qui publicam diſciplinam ideo minus vrgendam eſſe contendunt, quòd ferè contentiones & odia ac inimicitiæ inde exoriantur. Id verò diſerte negat, et ſalem hunc pacis ſtudio coniungens, correctionem morũ publicam ita adminiſtrari poſſe docet, vt paci & concordiæ quàm maximè inſeruiat. Quod tunc fiet, quando ita inſtituitur, vt omnibus bonis conſtare poßit, nihil præter Dei gloriam & hominum ſalutem quæri, qui alioqui in vitijs ſuis toti perituri eſſent. Et ſanè ad conſeruandam pacem & concordiam nihil efficacius & vtilius eſſe diligenti & æquabili omnibusq́; communi legum bonarum & verbi diuini diſciplina, prudentißimi quiq; viderunt, & omnium ſeculorum exempla teſtantur. Per hanc enim improbi coercentur, quibus ſi quiduis impunè liceat, mox aliorum fortunas & corpora inuadentes publicarum turbarum & ſeditionum ſæpe authores ſunt. Simul etiam impatientiæ & rebellionis ſcandalum tollitur, quod bonis interdum ex improborum impunitate obijci conſueuit. Et qui correcti ad mentem redeunt, mox correctionis huius fructum iucundißimum ſentiunt, & eos tenerrimè diligunt, quos prius iniquius ferebant, & odio proſequebantur. Denique ſi peccandi impunitas nulla ſit, & abſque omni perſonarum reſpectu omnes ex æquo corrigantur, nemini de legibus conquerendi datur occaſio, & cum ijs facilius in gratiam redeunt reliqui, quos vel publicè per verbi præcones correptos eſſe, vel legibus publicis iam ſatis feciſſe vident. Vt primùm verò alij alijs de cauſis efferuntur, & diſciplinæ iugum excutiunt, mox effrenis peccandi licentia vincit, quæ tandem ſeditionum & publicorum malorum cauſa eſt, cùm impij indies audaciores fiant, pij verò eos antiſtites & magiſtratus colere deſinant, quorum negligentia impijs animi augentur. Exempla in hiſtorijs paßim occurrunt, nec noſtro ſeculo deſunt, & vtinam non ipſi aliquando ſentiamus, quò eruptura ſit nimia licentia, cuius præcipui authores ſunt eccleſiarum antiſtites, qui ſe officio ſuo probè defunctos putant, ſi in abſentes dicteria & conuitia iaculentur, cùm interim in ſuo grege graſſantem morum corruptionem ſecuri negligant. Semper ergo animis noſtris inhæreat hæc Chriſti admonitio, vt huius memores miniſtri & magiſtratus de diſciplina conſeruanda aßiduè cogitent, eandem verò patienter ferant qui peccarunt. Ita enim fiet, vt tam in hoc quàm futuro ſeculo ſolida & nunquam intermoritura pace fruamur per Ieſum Chriſtum, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

III. Diſciplina paci conſeruandæ ſeruit.

# CAPVT X.

## HOMILIA LXXXI.

ET cùm inde ſurrexiſſet, uenit in fines Iudææ per regionem quæ eſt trans Iordanem, & conueniunt rurſum turbę ad illum, & ſicut conſueuerat docebat eas. Et adeuntes phariſæi interrogabant illum: Licet ne uiro uxorẽ repudiare? tentantes illum. At ille reſpondens dixit illis: Quid uobis præcepit Moſes? At illi dixerunt: Moſes permiſit libellum repudij ſcribere, ac dimittere. Et reſpondens Ieſus dixit illis: Ad duritiẽ cordis ueſtri ſcripſit uobis præceptum iſtud. Cæterùm ab initio creationis marem & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnẽ unam: itaque nõ ſunt amplius duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Et in domo rurſum diſcipuli eius eadem de rè interrogarunt eum. Et dicit eis: Quicunq; dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur aduerſus eam. Et ſi mulier dimiſerit uirum ſuum, & nupſerit alteri, mœchatur.

*Argumentum & uſus huius capitis.*

DILIGENTER *bucuſq; tradidit Chriſtus quæcunque omnibus ex æquo in ſalutis cauſa cognitu neceſſaria ſunt, ſimulq; doctrinam ſuam miraculis plurimis illuſtrauit. At quia hominum conditiones variæ & multùm inter ſe diuerſæ ſunt, & ſingulis in ſua vocatione ita viuendum eſt, ne fidem quam ore profitentur, factis abnegent: nunc de particularibus hiſce officijs Chriſtus agere incipit. Et prima quidem huius Cap. parte præcipuas vitæ huius conditiones ſiue hominum ſtatus præceptis inſtruit: initio facto à matrimonio, eò quòd ex hoc tota ferè vitæ noſtræ ratio dependet, & hoc rectè inſtituto, omnia reliqua rectius procedunt.*

*Chriſti ultima profectio in Iudæam.*

*Matth. 19.*

*Marc. 1.*

*Luc. 4.*

*Præmittitur autem ad tractationem iſtam præparatio quædam. Chriſtus enim qui aliquandiu in Gallilæa verſatus fuit, è Capernao digreſſus per regionem Transiordanam (quam alij Peræam dixere) in Iudææ fines tranſiuit. Fuit autem hæc vltima ipſius profectio in vrbem Hieroſolymorũ, vbi non multò poſt moriturus erat. Mox verò ad illum multi confluunt, qui (vt ex Matthæo patet) ægrotos complures ſimul adduxêre, quos ille curauit, & populum pro ſuo more docuit: cuius rei gratia ſe à patre miſſum eſſe alibi teſtatur. Eſt hoc euidens ſtudij ipſius erga nos argumentum. Mortem enim quam ſibi inſtare ſciebat, adeò non ſubterfugit, vt potius illi obuiàm procedat. Interim verò nihil eorum negligit, quæ ad eorum inſtitutionem faciebant, quos mortis ſuæ authores fore non ignorabat. Docet enim adhuc, & doctrinam miraculis confirmat. Hinc nobis in tentationibus conſolatio petenda eſt, ne illum erga nos difficiliorem eſſe cogitemus, quàm olim erga apertos hoſtes fuerit. Vt enim hic ſtudio indefeſſo omnibus benefacit, ita omnes nos ad ſe vocat, nec quenquam ad ſe venientem reijcit. Simul verò exemplum ipſius imitemur, vt ſimili ſtudio et alacritate ea exequamur, quæ nobis Deus iniunxit, & non minus prompti ſimus ad iuuandum eos, quos noſtris officijs videmus opus habere.*

*Matth. 11.*

*Ioan. 6.*

*Phariſæi Chriſtum tentant per quæſtionẽ de diuortijs.*

*Porrò circa hæc occupatum aggrediuntur phariſæi, & tentant illum, id eſt occaſionem captant, qua ipſum vel populo inuiſum reddant, vel quæſtionibus irretitum in vitæ periculũ adducant. Quæſtionem autem proponunt, An viro liceat vxorem dimittere? De ijs verò diuortijs quærunt, quæ apud Iudæos licenter nimium in vſu erant: adeò vt quiuis pro ſuo arbitrio ob cauſam qualemcunq; vxori, quæ diſplicebat, repudij libellum daret: quod apud Matthæum clarius exprimitur, qui quæſtionem ab illis hoc modo propoſitam fuiſſe ſcribit: Licet ne homini vxorem repudiare qualibet ex cauſa? Ita verò Moſis conſilio ſiue præcepto abutebantur, qui vxorem minus gratam vel commodam dato repudij libello dimittere iuſſerat. Nec dubium eſt, magnam inde confuſionem & turbas frequentes exortas fuiſſe, quando eam conſtat fuiſſe Iudæorum libidinem & inhumanitatem, vt è Babylone reuerſi, vxores, quæ ipſis exilij ſociæ fuerant, ob amiſſum ætatis & formæ florem, crudeliter eijcerent. Simulant ergo phariſæi ſibi vehementer dolere illam licentiam, ſed hoc vnum quærunt, vt illi malum concilient. Ea enim erat huius quæſtionis conditio, vt quicquid reſponderet, illum circumuentum & captum teneri poſſe putarent. Nam ſi diuortia iſta probaſſet, ipſum ſibi contradicere clamauiſſent, quem alibi illa damnaſſe ſciebant. Adhæc libidinis & impudicitiæ patronum eſſe dixiſſent. Sin verò illa damnaſſet, iam Moſis inimicum ſiue aduerſarium dicere poterant, & populi odium ipſi conciliare, apud quem maxima & irrefragabilis erat Moſis authoritas, & qui diuortijs eiuſmodi hactenus aſſueuerat. Elucet igitur in hoc exemplo quanta ſit hoſtium veritatis pertinacia ſimul & aſtutia. Nec enim pudet hos eum hoſtiliter & inſidioſè tentare, quem ijs intentum eſſe videbant, quæ ad publicam omnium ſalutem ſpectabant. Et eiuſmodi occaſionem captare poſſunt, qua ijs inuiſum reddant, quos hucuſq; beneficijs infinitis accumularat. Fiunt huius generis multa hodie, in quibus eorum nos meminiſſe decet, quæ Chriſto acciderunt, & iuxta illius exemplum veritatis cauſam fortiter & prudenter tueri.*

*Deut. 24.*

*Ezræ 9. 10.*

*Malach. 2.*

*Matth. 5.*

*Luc. 16.*

*Chriſti ad Phariſæorum quæſtionẽ reſpõſio.*

*Nam primùm præſenti planè animo illos interrogat, quid Moſes præceperit: non quòd hoc illum lateret, ſed vt inde occaſionem arripiat commodius & liberius cum illis agendi. Reſpondent enim illi, Moſem permiſiſſe, vt vxor quæ diſplicet, ſcripto illi libello repudij dimittatur. Quibus mox ſuã reſponſionem Chriſtus infert, quæ tribus partibus conſtat, quas probè excuſſiſſe multùm proderit.*

*I. Rationem reddit præcepti de libello repudij.*

*Prima rationem reddit eius, quod Moſes de diuortijs ſtatuerat. Ad duritiem cordis veſtri (inquit) ſcripſit præceptum iſtud. Præceptum quidem vocat, ſed conſilium potius cenſeri debere docet, vel potius priuilegium, quod vitandi maioris incommodi cauſa conceſſerit, non quòd iſta diuortiorum li-*

rum li-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

rum licentia Deo probetur. Sic de virginibus conſilium Paulus dabat, qui interim ſe Domini præceptum non habere fatebatur. Verborum autem Chriſti ſenſus eſt: Vidit Moſes vos ingenijs adeò contumacibus & præfractis præditos eſſe, vt vxores potius occiſuri fuiſſetis, quàm illis præter animi voluntatem cohabitaturi. Conceſsit ergo priuilegium hoc de diuortijs: ſimul tamen non abſq; libello repudij miſeras eijci voluit, quò vel huius meditatione et ſcriptione prohiberentur, qui vxores repudiaturi erant, ſimulq́; repudiatarum famæ & honori conſuleretur, ne vel ipſæ maritos reliquiſſe, vel ob ſcelus aliquod eiectæ viderentur. Fruſtra ergo Moſis præceptum allegatis, quod de veſtra auita & quaſi hæreditaria improbitate teſtimonium fert, & quo vos ſecus quàm ille voluit, ad veſtras libidines abutimini.

An Moſi licuerit repudium permittere.

At quærunt aliqui, Num Moſi licuerit tale quid concedere, quod cum prima coniugij inſtitutione pugnare, & proinde Deo minus probari poſſe ſciebat? Et illud Apoſtoli obijciunt, qui impiorũ vocem eſſe ait: Faciamus mala, vt veniant bona. (Rom. 3.) Vbi reſpondemus, Moſem quidem hic nominari, ſed eundem vt Dei ſeruum conſyderandum eſſe, qui nihil in Dei legibus, vel mutare, vel ſaltem aliqua ex parte abſq; ſingulari ſpiritus ſancti ſuggeſtione illis contrarium permittere voluerit. Nam fidelem ſeruum fuiſſe in tota Dei domo, ipſius Dei teſtimonio abunde conſtat. (Num. 12. Hebr. 3.) Quare ad ipſum Deum iſta conceſsio referri debet, cui de ſuo facere licet quodcunq; ipſi libuerit. Ergo ne (inquis) ſibijpſi contradicit Deus, & temeraria quadam leuitate leges figit atq; refigit? Nequaquam. Imò ſi probè rem excutiamus, nulla hîc contradictio ſubeſſe apparebit, quando non eodem reſpectu dicuntur quæ olim per Moſem tradita, & hîc per Chriſtum plenius ac luculentius expoſita ſunt.

Moſes & Chriſtus non diſsident.

Primò enim Moſi cum populo duræ ceruicis res fuit, cum quo variæ rationes ineundæ erant, vt peccata, quæ in totum impediri non poterant, ſaltem aliquo modo coercerentur. At Chriſtus ijs loquitur, quos ex ſemine verbi Dei renatos, ſpiritu adoptionis duci, & ad Chriſtianam perfectionem indies contendere oportet. (1. Pet. 1. Rom. 8.) Deinde Moſes vxorem repudiare non ſimpliciter iuſsit, ſed ſi id ipſi vellent facere, qua ratione id fieri deberet, docuit. Adhæc non quamuis ob cauſam diuortium fieri voluit, ſed tum demum illud conceſsit, ſi quis in vxore rem fœdam deprehendiſſet, & ſibi intolerabilem, etſi non eiuſmodi eſſet, quæ publicis legibus plecteretur. Præterea modum & rationem talem præſcripſit, quæ ad prohibendum diuortium, & pacem inter coniuges diſsidentes conciliandam plurimùm ſeruiebat. Nam (vt Auguſtini verbis vtar) moram interpoſuit, vt in diſsidium animus præceps, libelli conſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet vxorem dimittere cogitaret: præſertim quia, vt perhibent, apud Hebræos ſcribere literas Hebræas nulli fas erat, niſi ſcribis ſolis, qui & excellentiorem profiterentur ſapientiam, & ſi qui eorum eſſent æquitate & pietate præditi, non tantum profiterentur, verumetiam ſectarentur. (Libro 19. contra Fauſtum Manic. cap. 26.) Ad hos igitur, quos oporteret eſſe prudentes legis interpretes, & iuſtos diſsidij diſſuaſores, lex mittere voluit eum, quem iuſsit libellum repudij dare, ſi dimiſiſſet vxorem. Non enim poterat ei ſcribi libellus, niſi ab illis ipſis, qui per hanc occaſionem & neceſsitatem, venientem quodammodo in manus ſuas bono conſilio regerent, atq; inter ipſum & vxorem pacificè agendo, dilectionem concordiamq́; ſuaderent. Quòd ſi tantum intercederet odium, vt extingui emendariq́; non poſſet, tunc vtiq; ſcriberetur libellus: quia fruſtra non dimitteret, quam ſic odiſſet, vt ad debitam coniugio charitatem nulla prudentium perſuaſione reuocaretur. Hactenus Auguſtini verba retulimus. Quibus adijci poteſt, viros ſaltem in ſpeciem bonos & honeſtos, repudij libellos non facilè dediſſe, quibus ſuam ipſorum moroſitatem publicè proderent: & proinde non temere diuortium feciſſe cum vxoribus quas abſq; libello eiuſmodi dimittere non poterant. Poſtremò iſta repudiorum ratione non vitæ modò, verumetiam famæ vxorum conſulebatur, ne ob adulteriũ, aut aliud quodpiam ſcelus capitale repudiatæ eſſe, aut ipſæ maritos turpiter deſeruiſſe viderentur. Nam etiam hunc libellorum repudij vſum fuiſſe, ex Iſaia patet, apud quem Deus Iudæorum ſynagogam accuſans, quòd priuſquam eijceretur, ipſa ſponte defecerit, vt amores ſuos idololatricos ſequi poſſet, inter alia ait: Vbi eſt libellus repudij matris veſtræ, quo eam dimiſerim? (Iſaiæ 50.) Quaſi diceret. Si de mea moroſitate quiritamini quaſi iniquius vos reiecerim, agedum proferte libellum repudij abs me vobis datum. At non poteſtis quicquam tale proferre. In vobis ergo omnis culpa hæret, nec repudiatis vxoribus ſed turpiſsimæ adulteræ ſimiles eſtis, quæ marito relicto amatores ſuos ſectatur, &c. Quoad ergo conſilium ſiue priuilegium per Moſem datum iſta repudiorum ratio mala non erat: meritò autem reprehendi debe-

bant Iudæi, qui hanc in effrenem ſuæ libidinis licentiam conuerterant: quæ cauſa eſt, quòd illos Dominus nunc arctioribus terminis conſtringit.

Ratio diſpenſandi in legibus ciuilibus.

Habemus in his exemplum memorabile, quæ optima ſit in legibus ciuilibus diſpenſandi ratio, et quando illa admitti, quando item legum authoritas ſeuerius vrgeri ac retineri debeat. Iubent leges, vt ſuum cuiq; tribuatur, & ne quid contra æquitatem aduerſus quenquam iudices pronuntient. At tales quandoq; cauſæ incidunt, vt ſi ſummo iure decidantur, ſimultates nunquam finiendæ orituræ ſint, quæ fortaßis publicæ etiam paci officiant. Non ergo iniquus fuerit iudex, ſi commodas rationes inueniat, quibus auditis iure ſuo volens cedat, qui alioqui nullis legibus ad id cogi poſſet: quando hoc ciues boni & prudentes non rarò ſua ſponte pacis & concordiæ ergò facere conſueuerunt. At ſi hinc audaciores fiant malæ frugis homines, ac vel aperta vi, vel iuris & legum prætextu opes aliorum inuolent, & vix corporibus ſuorum conciuium abſtineant, tum illos ſeueriori legum diſciplina coercendos eſſe meminerint magiſtratus, ſiquidem ſeipſos & reſpublicas ſuas ſaluas & incolumes eſſe volunt. Eadem eſt in ijs ratio, quæ mores & vitæ conſeruationem attinent. Poſſunt illic concedi gaudia legitima, quæ nec morum honeſtati obſint, nec Dei vel præceptorum ipſius immemores faciant eos, qui illis fruuntur. Talia enim ipſe Deus conceßit, quando diebus feſtis Iſraelitas corã Domino epulari & lætari iußit. At ſi ſub prætextu tali laſciuire & libidinari incipiant homines luxui & intemperantiæ dediti, gaudia eiuſmodi cancellis legum coerceri oportet.

Deut. 14. 16.

Digreßio de Carniſpriuijs, ſeu potius Lupercalibus Chriſtianorum

Erat hoc obſeruandum in ferijs ſiue ſolennitatibus quæ ieiunium papiſtarum quadrageſimale præcedunt. Aguntur enim illis diebus paßim ferè conuiuia publica, quæ ſi ad alendam & fouendam ciuium concordiam & mutuũ amorem faciant, nec temperantiæ fines excedant, damnari nõ poſſunt. Intolerabilis verò eſt illorum licentia, qui cùm Euangelij nomen & fidem profiteantur, eodem tempore laruati diſcurrunt, & ludos edunt laſciuiæ plenos & à Chriſtiana modeſtia alieniſſimos. Primò enim illos ex gentibus originem habere ſcimus, qui ijſdem moribus & eodem propè tempore ſua Bacchanalia, Lupercalia & Cerealia celebrarunt. Licet verò illa papatus (vt multa alia quoque) retinuerit, noſtrum tamen erat illis longum vale renunciare, quos Euangelij ſui luce Chriſtus donare dignatus eſt. Si enim papatum propter abuſus reiecimus, qua fronte obſecro gentiliſmi reliquijs locum damus, quæ inter papiſtas viris bonis & cordatis ſemper diſplicuerunt? Conſtat enim illo tempore, ſi vel parum conniueant magiſtratus, effreni licentia quoſuis in omne libidinis ac petulantiæ genus erumpere, nullo vel ſexus, vel ætatis, vel dignitatis diſcrimine obſeruato: adeò vt vel vno hoc argumento gentiliſmi reliquias poßis agnoſcere. Accedit his Dei lex, quæ nefas & abominabile eſſe pronunciat, ſi vel viri vel fœminæ mutato habitu ſexum alienũ mentiantur. Taceo ſumptus immodicos, qui vel ſoli abſterrere poterant, niſi cum ratione ſenſum quoq; mali omnem abiecißemus. Offendicula tamen & ſcandala taceri & dißimulari non debent, quæ vix vſpiã alibi vberius proueniunt. Offenduntur peregrini, quos veræ religionis fama & amor adduxit, quando eam licentiam morum apud Euangelij profeſſores reperiunt, quam domi ſuæ intolerabilem duxerunt. Offenduntur infirmi et ſuperſtitioſi, quos exemplo vitæ honeſtioris lucrifacere poteramus. Offenduntur palàm impij et manifeſti veritatis hoſtes, qui fidei doctrinam malignè proſcindunt, quando huius profeſſores tanta petulantia graſſari, nec quicquam ab ipſorum moribus differre vident. Offenduntur pauperes, quando ipſis eſurientibus alios abundare vident, & in luxum pudendum ea, quibus abundant, profundere. At quæ ſit offendiculorum ratio, & quam horum authoribus pœnam Deus conſtituerit, nuper prolixè dictum eſt. Hæc ergo nos mouere debebant, vt de licitis quoq; gaudijs reſtringendis & coercendis cogitaremus, iuxta Chriſti exemplum, qui in repudiorum licentia tale quid in præſenti tractatione facit. Et hæc quidem in primam reſponſionis ipſius partem dicta ſint.

Deut. 22.

II. Ad primam coniugij inſtitutionem relegat.

1. Cor. 11.

Tranſeamus nunc ad ſecundam partem, qua ad primam coniugij inſtitutionem illos relegat, & hanc potius obſeruandam eſſe docet, quàm quid Moſes ipſorum improbitate coactus permiſerit. Eſt hoc in omni controuerſia ſpectandum, vt ad primam Dei inſtitutionem recurramus, & mox patebit, qua in re erratum ſit, et quomodo error admißus corrigi ac emendari queat. Ita Paulus in Cœna negotio fecit, cùm illam Corinthij prophano abuſu corrupiſſent. Quoad verò præſentem cauſam, primò (vt Matthæus annotauit) repudiorum licentiam cum Dei inſtitutione nequaquam conuenire docet. Ab initio (inquit) non fuit ſic: id eſt, non ad hunc modum Deus coniugium inſtituit, nec illud temetarijs

rarijs diuortijs ita turbari voluit & confundi. Quid ergo? Marem & fœminam fecit eos. Quaſi di-
cat: Non plures fœminas fecit, quas Adam pro ſuo arbitrio permutaret: nec etiam ad vnius mulie-
ris libidinem exaturandam plures viros creauit: ſed Adamo, qui vnus & ſolus erat, Euam quoque
vnicam, ex coſta ipſius formatam, coniunxit, & duos hoſce mutuo & indiuulſo amore ſibi inuicem
adhærere iuſsit. Et quia coniugium ita inſtituit Deus, tanta illius ſeruandi religio eſſe debet, vt ho-
mo parentibus quoque relictis vxori ſuæ agglutinari debeat: adeò vt qui prius duo erant, nunc in
vnam quodammodo carnem, id eſt, in vnam perſonam, vel vnum corpus coaleſcant, cuius vna &
eadem voluntas, idem vtrinq; amor, & idem ſit erga ſuum comparem gratificandi ſtudium. Et hæc
quidem verborum Chriſti ſententia eſt, in quibus tota coniugij ratio nobis conſyderanda proponi-
tur. Patet enim hinc, quid illud ſit, quæ eius dignitas ſit, quæ circa hoc potiſsimùm conſyderari de-
beant. De quibus ſingulis, quanta fieri poterit, breuitate dicemus, quæcunq; ad præſentem tractatio-
nem cognitu & obſeruatu neceſſaria ſunt.

Coniugium Latini iumentorum ad vnum iugum copulationē vocant. Metaphoricè verò eadem Coniugium unde nomen habeat, et quid ſit
vox de mare & fœmina, matrimonij vinculo conſtrictis, vſurpatur: eò quòd tales eandem omnis for-
tunæ ſocietatem ac conſortium habeant. Matrimonij vocem, quæ & ipſa Latinis in vſu eſt, Augu-
ſtinus à matre deriuat, quia nō ob aliud fœmina nubere debeat, quàm vt mater fiat. At ſi rem ipſam
excutere & exactius definire libeat, dicamus coniugium eſſe legitimam & diuinitus inſtitutam con-
iunctionem viri & fœmine, quæ cum vtriuſque conſenſu ſuſcipitur, vt ſe mutuò adiuuent, ſobolem
procreent, & illicitæ libidinis cupiditatibus medeantur. Habet definitio hæc omnia, quæ ad legiti-
mum coniugium pertinent, & cum ſcripturis probè conuenit. Hæ enim illud in ipſa ſtatim mundi
creati origine à Deo inſtitutum, & has ipſas ob cauſas inſtitutum eſſe docent, quas commemoraui-
mus. Deum equidem legimus dixiſſe: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium, Geneſ. 2.
quod ſit coram illo. En Deus bonum eſſe negat, vt homo ſolus ſit, & ſe illi adiutorium facere velle
pollicetur. Illius ergo inſtitutum eſt, vt cum vxore compare viuat. Et ibidem primam coniugij cau
ſam non obſcurè attingit: vt nimirum adiutorium habeat homo, quem per peccatum in labores &
omnis generis ærumnas prolapſurum eſſe ſciebat. At ſimul ſoboli procreandæ coniugium ſeruire de-
bere, idem Deus alibi docet. Scribit enim Moſes: Creauit Deus hominem in imagine ſua, in imagine Geneſ. 1.
Dei creauit illum, marem & fœminam creauit eos. Et benedixit illis Deus, dixitq; illis: Creſcite &
multiplicamini, & implete terram, & ſubijcite eam, &c. Tertiam verò inſtituti coniugij cauſam
Paulus diſertè exprimit, dicens: Propter ſcortationem vitandam, ſuam quiſq; vxorem habeat; &
ſuum quæq; virum habeat, 1. Cor. 7.

Elucet ex his magna coniugij dignitas. Concurrunt enim hìc quæcunq; ad rei alicuius commen- Coniugij dignitas quanta ſit.
dationem facere poſſunt. Author ſiquidem illius eſt Deus, qui illud ipſus inſtituit, nec vllius vel ho-
minis vel angeli miniſterio vſus eſt. Tempus verò ſiue vetuſtas ad ipſam rerum omnium originem
refertur, & tunc cœpit, quando homo nondum in peccatum prolapſus erat, ſed in Dei imagine conſti-
tutus adhuc paradiſi delitijs & felicitate fruebatur. Cauſæ autem eæ commemorantur, quæ ad gene
ris humani propagationem ac conſeruationē, ad vitæ huius commoditatem, & ſingulorum hominum
ſalutem faciunt. Taceo nunc Chriſti Ieſu & eccleſiæ myſterium, cuius primus & omnium ab orbe
condito luculentiſsimus typus in coniugij inſtitutione propoſitus fuit. Dum enim ex Adami dor-
mientis latere Eua deſumitur, oſtendere voluit Deus, ex ſecundi Adami, qui Chriſtus eſt, morte ena Epheſ. 5.
ſcituram eccleſiam, quam ille ſponſæ loco, regni ſui & vitæ cœleſtis ſociam eſſet habiturus. Sed & ipſe Luc. 1.
Chriſtus vt ex virgine deſponſata naſci voluit, ita nuptiarum & coniugij parabola frequentiſsimè Matth. 1. 9. 22. 25. &c.
vtitur, vt noſtræ redemptionis myſterium nobis euidentius ob oculos ſtatuat. Non ergo mirum eſt,
tantam vinculi coniugalis neceſsitudinem eſſe, vt huic qui parentibus debetur amor cedere iubeatur.
Admiranda autem, imò deteſtanda potius eſt illorum audacia, qui coniugij vſum ceu rem propha-
nam damnarunt, cùm nec aliqua ſcripturarum authoritate, nec ſanctorum patrum exemplis, ſuum
hoc inſtitutum probare poſſent. Paulus certè illorum ſententiam dæmoniorum doctrinis adnumerat; 1. Tim. 4.
& idem dicere non dubitauit: Honorabile eſt inter omnes coniugium, & cubile impollutum: ſcorta- Hebr. 13.
tores autem & adulteros iudicabit Dominus. Et quod Paulus dixit, communi ſenſu apud omnes
gentes iam inde ab exordio mundi receptum fuiſſe legimus, quæcunq; ratione potius & legibus quàm

Geneſ.12.20. belluinis affectibus ſe & reſpublicas ſuas regi debere intellexerunt. Pharaonē certè Ægypti & Abi-
melechum Palæſtinæ regem, qui vterq; Saram Abrahami vxorem ignarus & inſcius ſibi duxerat,
mox culpam ſuam agnouiſſe, imò totos exhorruiſſe legimus, vt primùm marito nuptam eſſe intelle-
Geneſ.29. xerunt. Ioſephum verò ſuum ita à pueris inſtituerat Iacob, vt ne ethnici quidem heri torum vellet
polluere, ſed improbis heræ impudicæ illecebris ſeſe potius cum vitæ periculo opponeret. At poſtquam
ſublato pudore coniugij honor paſſim vileſcere, & ſcortandi mœchandiq; libido apud omnes penè gen-
Adulterij pœnæ. tes regnare cœpit, Deus Iſraelitarum gentem, quam ſibi in peculium delegerat, adulteros & adulte-
ras capitalibus pœnis plectere iuſsit: quod ipſum apud aliquas etiam gentes receptum fuiſſe conſtat,
Leuit.20. & poſtea Imperatorijs legibus eſt confirmatum. Neque hîc eos multùm moramur, qui iſta legibus
Deut.22. quidem conſtituta eſſe fatentur, ſed rara eorum exempla inueniri clamant, qui legum eiuſmodi rigo-
rem ſequendum eſſe putarint. Scimus enim nimiam fuiſſe omnibus penè ſeculis adulteriorum licen-
tiam, & magiſtratus illam plerunque coercere vel non velle, vel non poſſe, cùm quaſi regnum paſſim
obtinuerit. At ſimul ſcimus, non ideò ceſſare Dei iudicia, qui & olim in ſcortatores & adulteros hor-
renda exempla edidit, & hodie nequaquam eos punire ceſſat; qui coniugiorum fidē turpiter violant.
Num.25. In deſerto olim propter ſcortationem viginti quatuor millia hominum periiſſe Moſes ſcribit. Iudi-
Iud.19.20. cum verò temporibus cùm magiſtratuum negligentia ſcortandi et mœchandi impunitatem inuexiſ-
ſet, ſexaginta quinq; millia virorum cæſa fuerunt. Quantum verò malorum publicè & priuatim ex
1.Sam.12.13. Dauidis adulterio enatum ſit, nemo ignorat. Inter Babylonicæ captiuitatis cauſas prophetæ adulte-
15.16.18.&c. ria non poſtremo loco numerant. In gentium hiſtorijs celeberrimum eſt Troiæ excidium, cuius præ-
Ierem.5.7. cipua cauſa Paris adulter extitit. Apud Romanos propter ſtuprum Lucretiæ per vim oblatum, re-
Ezech.33.&c. ges eiecti fuerunt, quæ res turbas & belli pericula infinita peperit. Memorabile autem cumprimis
eſt, quod Roderichum Gothorum regno in Hiſpanijs ſua libidine finem & interitum attuliſſe legi-
mus. Cum enim Iuliani cuiuſdam filiam cōſtupraſſet, pater ira & dolore percitus, Sarracenos in Hi-
ſpaniā adduxit, quam occiſo rege & regni proceribus & ingenti præterea Gothorum ſtrage edita oc-
cuparunt, & annis circiter quingentis tenuêre: donec in Granatæ regnum ſeſe recipere coacti ſunt,
vnde illos patrum memoria demum Ferdinandus Rex expulit. Simile exemplum regnante Hono-
rio accidit, quando Franci Treuirorum vrbem occuparunt, accerſiti à Senatore, cuius vxorem ra-
puerat Lucius præſes Romanus. Inde poſtea in Galliam tranſierunt, quæ res ab ea parte laceratio-
nis Imperij initium fuit, cui ab altera parte Gotti ex Pannonia imminebant. At quid opus eſt vete-
rum exempla commemorare, quando quotidie experimur, vt iuſtus Deus ſtupra & adulteria rei do-
meſticæ diſſipatione, grauiſsimis morbis, infamiæ notis, & nonnunquam horrendis & improuiſis ca-
1.Cor.6. dibus, aut alioqui non vulgaribus mortis generibus vlciſci ſoleat? Omitto nunc, quòd in his abſq; pœ-
Apoc.21. nitentia perſeuerantes ſcriptura regni cœlorum conſortio excludit, & æternis inferorum cruciatibus
addicit. Vtinam iſta diligentius conſyderarent, quos noſtri ſeculi licentia & impunitas excæcat, vt
ſibi coram Deo quoq; quiduis licere exiſtiment. Cæterum vt huius iudicium ſubterfugiamus, in illo-
rum meditatione nos verſari conuenit, quæ circa ipſum coniugium cumprimis obſeruare & præſtare
oportet. Sunt hæc numero tria, de quibus ex ordine dicemus.

Quomodò coniugia contrahi debeant. Primum eſt, vt ritè contrahatur iuxta Dei inſtitutionem et ab illo præſcriptas leges: inter quas
non poſtremo loco haberi debent, quæ de impiorum & idololatrarum connubijs vitandis habentur,
Deut.7. & quæ certos cognationis & affinitatis gradus conſtituunt, intra quos nefas ſit matrimonium con-
Ioſ.23. trahere. Sed plurimùm huc facit primæ inſtitutionis conſyderatio. Ex Adami dormientis latere
Leuit.18. coſtam petit Deus, quam in mulierem formatam illi coniungit. Quo exemplo docuit carnis affectus
hîc minimè in conſilium adhibendos eſſe, ſed illis ſopitis coniugem quæri debere, qua cum piè & re-
ligioſe viuere poſsis. Quia enim ad religionem præcipuè homo conditus eſt, huius quoque præcipua
cura eſſe debet, in deligendo compare, cum quo maxima vitæ pars tranſigenda erit. Nec quicquam
abſque religione feliciter inchoari, non ſcripturæ modò docent, verumetiam gentium ſapientes olim
tradiderunt. Peccatur ergo hîc auaritia, quando opes ſolæ quæruntur: libidine, quando ſola forma
inſpicitur & cæcus amor in conſilium adhibetur: ambitione item, quando ſub coniugij prætextu hono-
res & dignitates ambimus. Hinc ferè coniugia imparia proueniunt, in quibus cùm nec morum, nec
ingenij, nec etiā religionis ſimilitudo ſit, ſæpe non modò diſſenſiones et perpetuæ rixæ pullulāt, verum-
etiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

etiam ſibijpſis apoſtaſiæ ſiue defectionis à Deo & maximorum ſcelerum authores ſunt, qui ſe illis in-
cautius aut prauis affectibus ducti immergunt. Exemplum eius rei memorabile extat in Solomone, 1.Reg.11.
qui hac occaſione toti Iſraeli idololatriam inuexit, & peſtiferi ſchiſmatis in regno cauſam præbuit.
Sed & Ioſaphat, cum filio ſuo Achabi filiam deſponſauiſſet, ſibijpſi quidem præſens vitæ periculum 2.Par.18.et 21.
conflauit, filio autem ad parricidia & idololatriam quaſi viam ſtrauit. Nec noſtri ſeculi exempla de
ſunt, quæ docent, quàm infelix ſit plerunq; eiuſmodi coniugiorum exitus, in quibus poſtpoſita pietate
& gloria Dei, nihil præter opes, voluptates & faſtum quæritur. Hîc ergo potiſſimum parentes ſui
officij meminiſſe conuenit, ne dum liberis ſuis proſpicere volunt, maximorum malorũ illis authores
ſint. Vidit hoc Abraham, quando incredibili cura & ſtudio vxorem ſe dignam Iſaaco filio quærebat, Gen.24.
hoc vnum cauens, ne vel Chananæam duceret, vel ſub cõiugij prætextu eò rediret, vnde ipſum Deus
ſingulari beneficio eduxerat. Imitentur hunc qui veri filij Abraham eſſe volũt, ne vel infidelibus te-
merè miſceantur, vel per coniugia filijs ſuis et filiabus ad ſuperſtitiones anſam præbeant, è quarum
ſeruitute ipſos Deus per Euangelium ſuum aſſeruit. Rurſum parentibus piè ſolicitis & officio ſuo
fungentibus liberi obtemperent, neq; cæcos carnis ſuæ affectus pietatis debito præferant, quo illis ob-
ſtricti ſunt. Imitentur ergo & ipſi patriarcharum filios Iſaacum & Iacobum, quos parentibus obſe-
quentiſſimos, & proinde Deo propitio vſos fuiſſe legimus: ſimulq́; Eſaui exemplo terreantur, quem Gen.27.& 28.
multis modis à Deo mulctatum fuiſſe cõſtat, quòd parentibus in hac re minus obtemperauiſſet. Quis
enim in parentes verè pios dixerit eos, qui in coniugijs contrahendis parentes fallunt, ex quibus illi
liberorũ incolumitatem maximè dependere ſciunt, & proinde de illis cumprimis ſoliciti eſſe ſolent?
At quid ijs minetur Deus, qui parentes temerè negligunt, & illis triſtitiæ & doloris cauſam præ-
bent, quos fideli obedientia exhilarare debebant, notius eſt, quàm vt multis exponi oporteat.

Secundò videndum in cõiugio, vt illius initia rectè celebrentur. Quia enim magna eſt illius digni Nuptiæ ritè ce-
tas, vt paulò ante diximus, apud gentes ferè omnes, ſolennes & myſtici aliqui ritus fuerũt, quibus nõ lebrandæ.
ui coniuges publicè cõiungerentur. Apud Chriſtianos verò mos ille obtinuit, vt in eccleſia nuptijs mi
niſter benedicat, & publicis precibus Deo commendentur, qui illic fidem coniugalem ſibi mutuò pol-
licentur. Pius ſanè mos, et obſeruatu neceſſarius, quãdo abſq; precibus & diuini nominis auſpicio ni
hil rectè & proſperè incipi vel perfici poteſt. Vidit hoc Abraham & ſenior domus ipſius, quando de Gen.24.
Iſaaci coniugio acturi, magna cum religione Dei nomen & eius inuocationem interpoſuerunt. Et
cumprimis memorabile eſt exemplum Thobiæ, qui angelo monente fauſtiſſimas habuit nuptias, quæ Thob.6.7.
alijs ob libidinem ſolam has celebrantibus funeſtæ fuerat. Grauiſſimè ergo peccant, qui nuptias abſq; 8.&c.
religione celebrant, & libidini potius & faſtui ſtudent, quàm precibus & diuini nominis inuocationi.
Quod quia hodiè vulgò fit, non mirum eſt, ſi infelicior ſit eorum conditio, quos carnis cæca cupiditas
copulauit, & qui ſuæ conuerſationis primordia ſine omni religione inchoarunt.

Tertium eſt, vt ſui officij vtrinq; ſint memores. Sunt hîc quædam communia, quæ ex æquo ad vi Coniugum of-
rum ſimul & fœminam ſpectant: vt nimirum ſe vnam & eandem cum coniuge carnem eſſe memine- ficia.
rint, vt concordiæ & charitati ſtudentes coniugij vinculum omnibus alijs affectibus præferant, vt
omnia habeãt communia, vt fidem ſibi mutuò ſeruent illibatam, cùm (vt Paulus ait) nec vir nec fœ 1.Corinth.7.
mina corporis ſui poteſtatem habeat. Sunt tamen ſingulis quædam propria & peculiaria, de quibus
Apoſtoli ex ſpiritus Chriſti ſuggeſtione diligẽter admonent. Et de vxoribus quidem Paulus ſcribit: Vxorum offi-
Vxores proprijs viris ſubditæ ſint, veluti Domino: vel ſicuti conuenit in Domino. Quoniam vir eſt cia propria.
caput vxoris, quemadmodum Chriſtus eſt caput eccleſiæ, & idem eſt qui ſalutem dat corpori. Itaque Epheſ.5.
ſicuti eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & vxores viris ſuis ſint ſubditæ in omnibus. Itẽ alibi ab illis mo Coloſ.3. Titi 2.
deſtiam requirit, & vt maritos ſuos diligant, vt liberos ament, vt ſobriæ ſint, puræ, domus cuſtodes,
bonæ, & viris ſuis obſequentes: Et ad Timotheum, Volo (inquit) iuniores nubere, liberos gignere, 1.Timoth.5.
domum adminiſtrare, nullã occaſionẽ dare aduerſario, &c. Quibus cõſentiunt quæ de ijſdem Petrus 1.Pet.3.
tradit, qui inſuper de corporis habitu & ornatu admonet, & quòad obſequium & reuerentiam, quam
viris debent, Saræ exemplum illis imitandum proponit, quæ Abrahamum heri nomine dignata eſt. Gen.18.
Quæ omnia ſi in vnum conferas, vxoris fuerit marito ceu capiti ſubeſſe, eundem diligere, liberos ſtu-
dioſe educare, domus curam agere ſedulò, in moribus verò & totius vitæ conuerſatione modeſtiam,
pudicitiam & caſtitatẽ referre, vt (quod olim Iulius Cæſar dicebat) non ab adulterio modò, verum-

**Virorum officia propria.** etiam adulterij ſuſpicione alienæ ſint. Maritis verò non minus diligenter ſua officia Apoſtoli præ
ſcribūt. Ait enim Paulus: Viri diligite vxores, & ne ſitis amarulenti aduerſus illas. Item: Diligite
**Coloſ. 3.** vxores veſtras, ſicuti Chriſtus dilexit eccleſiā ſuam, & ſemetipſum pro ea expoſuit. Et rurſum: De
**Epheſ. 5.** bent viri diligere ſuas vxores, vt ſua ipſorum corpora. Petrus verò ſcribit: Viri cohabitent vxori
**1. Pet. 3.** bus ſecūdùm ſcientiam, veluti infirmiori vaſi muliebri impartientes honorē, tanquā etiā coheredes
gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ, &c. Vbi à viris quoq; amorem haud vulgarē requiri
audimus, non quidem quem libidinis ardor incendat, ſed qui in vxoris commodum & honorem diri-
gatur, qualis Chriſti eſt erga eccleſiā, & qualis vniuſcuiuſq; hominis erga membra ſua eſſe conſue-
uit. Adhæc prudentia exigitur, quæ vaſis infirmioris vitia ferre poſſit & emendare: ne dum ſuo in
vxorem iure & imperio maritus abutitur, illam tyrannide opprimat, & mancipij viliſſimi loco ha-
beat eam, quam ex latere ipſius deſumptam Deus vitæ & omnis fortunæ ſociam, & adiutorium eſſe
voluit. Et huc cumprimis pertinet capitis ſimilitudo, qua Paulus vtitur. Habet hoc in corpore prin
cipatū, ſed illo non tyrannicè abutitur, ſed cum ratione & prudentia ſingulorum membrorum ſaluti
proſpicit. Quòd ſi in membra graſſetur, iam non imperio vti, ſed furere dicitur, & tam ſibiipſi quàm
reliquo corpori malum conciliat. Huius ergo maritos memores eſſe decet: quin vtrinq; ſua officia con
iuges obſeruent, & vberrimum tam ad ſeipſos quàm ad liberos ſuos totamq; rem domeſticā fructum
redire ſentient. Et hæc quidem de coniugio pro temporis ratione in præſenti dicta ſufficiant.

**III. Chriſti de diuortijs ſententia.** Reſtat tertia reſponſionis Chriſti pars, qua hæc omnia propoſitæ quæſtioni accommodat, & de di-
uortijs ſententiam ſuam exponit. Infert enim ex præmiſſis: Quod ergo Deus coniunxit, homo ne ſepa
ret. Et poſtea diſcipulis ipſum domi interrogantibus ait: Quicūq; dimiſerit vxorem ſuam, & duxerit
aliam, mœchatur aduerſus eam. Et ſi mulier dimiſerit virū ſuū, & nupſerit alteri, mœchatur. Sunt
hæc verba diligenter conſyderanda. Videtur enim his Chriſtus diuortiorū ius in vniuerſum abro-
gare, & iiſdem Pontifices non abſq; graui conſcientiarum carnificina abuſi ſunt. Dum enim diuortio
rum licentiam coercere voluerunt, non aliter illa admiſerūt, quàm vt à coniugio abſtinerent vtrinq;
qui ſeparati fuerant, nec quiſquā viuente priori vel vxore vel marito, alij iungeretur. Nec alio fir-
miori argumento nituntur, quàm quòd in hiſce Chriſti verbis τὸ ῥητὸν ſiue literam mordicus teneant
& vrgent, nec illius mentem, & quid alibi idem dixerit, inſpiciunt. Primò igitur diſputationis huius
ſcopum obſeruare oportet, quam de temerarijs Iudæorū diuortijs, qualia tunc temporis in vſu erant
inſtitutam fuiſſe initiò diximus. De iiſdem ergo hic Chriſtus loquitur, & eos ſolummodo damnat,
qui nullis grauibus cauſis moti, ſed ob quamuis leuiculam occaſionem priuata authoritate vxores
repudiabant: nihil interim de illis agens, quos cauſæ grauiſſimæ hoc facere cogunt, ſiquidem ſuo ho-
**Repudiorū cauſæ legitimæ.** nori & ſaluti conſultum volunt. Deinde quid alibi ipſe Chriſtus pronunciet, videamus, & mox pate
bit ſententiam hanc nō adeò rigidè & vniuerſaliter vrgeri debere. Nam apud Matthæū ait: Quiſ-
**Matth. 5.** quis repudiauerit vxorē ſuam niſi cauſa ſtupri, efficit vt illa ſit adultera. Et apud eundem Euan-
geliſtam in hac ipſa diſputatione Chriſti verba ſic leguntur: Quicunq; repudiauerit vxorem ſuā, niſi
ob ſtuprum, & aliam duxerit, adulterium cōmittit, &c. Ergo quod hîc omnibus ſimpliciter negari
videtur, alibi concedit, ſi adulterij cauſa accedit, & proinde hanc diuortij cauſam legitimam conſti-
tuit. Cur enim non repudietur, quæ ipſa prior coniugij vinculum perfidè diſſoluit? Aut num adul-
teris & ſcortatoribus coniugij dignitas patrocinabitur, quod Deus, vt iſta vitentur, inſtituit? Sed
**1. Corinth. 7.** & Paulus alteram adhuc repudiorum cauſam concedit, quæ ex religionis diſſidio oritur. Iubet enim
vt fidelis coniugem infidelem non deſerat, ſed illius vitium patienter ferat, ſiquidē infidelis ipſi coha
bitare dignetur, nec ipſe prior diuortium quærat. At ſi infidelis diſceſſerit, diſcedat inquit Apoſtolus:
Non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in eiuſmodi. Vnde rurſum cōſtat, præſentem hîc Chriſti
ſententiā non niſi de iis accipi debere, qui pro ſua libidine coniugia dirimunt, & alijs ſeſe coniungunt:
Nec hos temerè dicit mœchari, cùm prioris matrimonij vinculum corā Dei tribunali adhuc firmum
& ratum habeatur. Interim vt repudiorum leuitas & licentia caueri debet: ita non minus cauendū
eſt, ne dum coniugij vindices ſeueriores videri volumus, in contrariā partem peccetur. Fit hoc, quan
do adulteris patrocinamur, nec contenti à Deo conſtitutam illis pœnam ſuſtuliſſe, inſuper inſontem
coniugem vel adultero aut adulteræ cohabitare, vel perpetuò aduri & ſeſe in idem flagitium præci-
pitare cogimus. Clementiæ fortaſſis videri poterat, adulteris parcere: At illis parcendo inſontes mul

ſtare, cum extrema crudelitate & iniquitate coniunctum eſt. Peccatur item, quando ſub coniugij prætextu religionem & quam Chriſto debemus fidem prodimus ipſi, aut alios ad ſuperſtitiones cum coniugibus infidelibus relegamus: immemores planè præcepti, quo Chriſtus nos propter ipſum parentes, vxorem & liberos relinquere iubet. At omnibus iſtis optimè medebitur pietas & religioſa verbi Dei obſeruantia, quæ fidos coniugij cuſtodes, & ſanctam Dei ſponſam nos efficiet per Chriſtum Ieſum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Marc. 10. Lucæ 14.

## HOMILIA LXXXII.

**Et obtulerunt ei puerulos, ut tangeret eos: diſcipuli autem obiurgabant eos qui offerebant. Id uerò cùm uidiſſet Ieſus, indignatus eſt, & dixit eis: Sinite puerulos uenire ad me, & ne prohibeatis eos: nam talium eſt regnum Dei. Amen dico uobis, quicunque non acceperit regnum Dei ut puerulus, nequaquam in illud ingredietur. Et cùm cœpiſſet eos in ulnas, impoſitis manibus ſuper eos, benedixit eis.**

Argumentum & uſus præſentis loci.

Diſputauit Dominus noſter Ieſus Chriſtus de coniugio, cuius dignitatem contra diuortiorum authores temerarios argumentis ex prima illius inſtitutione petitis aſſeruit. At quia coniugij fructus præcipuus ſunt liberi, quos Latini non temerè illius pignora dixêre, commodè nunc de his ſermonem inſtituit, docens, in qua nam apud Deum exiſtimatione ſint, & quid in illis inſtituendis parentes potiſſimùm ſpectare debeant. Eſt ergo locus hic multa & diligenti conſyderatione digniſſimus: tum quòd liberi non familiarum modò verumetiam totius reipublicæ ſeminarium ſunt, ex quo illa adoleſcere & conſeruari ſolet: tum quòd in illis educandis parentes vel negligentia, vel ſuperſtitione, vel inſtitutione praua plurimùm hodie peccant: quorum peccata nõ ipſis modò verumetiam communi patriæ vitio & fraudi eſſe conſueuerunt. Quibus omnibus probè medebitur præſentis hiſtoriæ conſyderatio, quæ tribus omnino partibus conſtat, quas ex ordine videbimus.

I. Parentes Chriſto offerũt paruulos. Matthæi 19.

Primò parentes producuntur, qui huic tractationi occaſionẽ dederunt. Veniunt illi, & ſuos liberos, paruulos adhuc & infantes, Chriſto offerunt, vt illos tangat, vel (quod Matthæus annotauit) vt manus illis imponeret, & bona fauſtaq; imprecaretur. Mouit illos haud dubiè, quòd Chriſtũ contactu ſuo multis mederi, & verba eiuſdem cũ effectu coniuncta eſſe viderent. Putant ergo ſuis quoq; infantibus plurimum diuinæ gratiæ acceſſurum eſſe, ſi illos ſuo contactu & benedictione dignetur. Habemus in his fidei exemplum, imperfectæ quidẽ, non tamen omnino inefficacis aut inutilis. Fidei enim eſt, quòd de Chriſto magnificè ſentiunt, & ex illo maius aliquid ſperant, quàm homo vulgaris præſtare poſſit. Imperfectionẽ verò arguit, quòd contactũ Chriſti neceſſarium eſſe arbitrantur, nec vt ipſe puerulis gratiã & ſalutẽ conferat petunt, ſed vt pro illis orando eam à Deo impetret. Nondum ergo Deum verum eſſe intellexerunt, qui cum patre vnus & idem ſit, & cum illo omnia cõmunia habeat, & proinde propria virtute quoſuis ſaluare queat. Interim fidei huic quantũuis infirmæ & imperfectæ ſuum quoq; robur & fortitudo non contemnenda ſubeſt. Etſi enim Chriſtũ pleriſq; exoſum eſſe ſciant, phariſæis aũt imprimis, quos aduerſus illum conſpirauiſſe & de ſectatoribus ipſius excommunicandis decretũ feciſſe, Ioannes ſcribit: tamen illorũ præſentiam non metuunt, vt illos Chriſti pudeat, cuius aliquẽ guſtum iam animis ſuis conceperunt. Seruit hoc inſtitutioni, vt primùm gliſcentis in nobis fidei initia foueamus, & poſito timore Chriſtũ vniuerſis hominũ edictis & conatibus præferamus. Neq; nos terreat noſtra ſiue infirmitas ſiue imperfectio. Nec enim hanc faſtidit Chriſtus, ſicuti iam ſæpe dictum eſt, & horum quoq; exemplo abundè docetur, vt poſtea ſuo loco videbimus.

Fidei imperfectæ exemplum.

Ioan. 9. 12.

II. Diſcipuli parentes obiurgant.

Secunda pars diſcipulorum de facto parentum iudicium exponit, Obiurgabant (inquit Marcus) eos, qui puerulos Chriſto offerebãt. At nimis incogitanter iudicium præcipitant, dum ea modò obſeruant, quæ ipſis prima fronte occurrebant, nec ea in mentem reuocant, quæ ex Chriſto non ſemel audiuerant. Arbitrantur enim neminẽ ad illũ accedere debere, niſi qui vel aliquo morbo liberari cupiat, vel docentem audire velit. At paruuli iſti nec morbo laborabant, qui diuinã Chriſti virtutem exigeret, nec doctrinæ adhuc capaces erant. Ideò ineptũ videtur, illos ad Chriſtũ adducere. Deinde quia in

Chriſto regnum terrenum ſomniabant, abſurdum ipſis videtur, illi negotia eiuſmodi exhibere, quæ à mulierculis potius quàm à viris principibus & circa maiora occupatis, tractari debeant. Ita verò exemplū præbent eorum, qui Chriſti & ſalutis myſteria ad humanæ rationis calculū reuocāt. Nam ſi rem ipſam propius inſpicere voluiſſent, multa erant, quæ illos poterant monere, ne indignius ferrent, pueros ad Chriſtum adduci. Nec enim ignorare potuerunt ſcripturæ loca, quæ paruulos ab ipſo matris vtero Deo curæ eſſe teſtantur, & eorundem educationem ſenioribus ſumma diligentia commendant. Sciebant præterea, Chriſtum ipſum ex Maria virgine infantem natum fuiſſe, & ſolitis gradibus adoleuiſſe: vnde promptum erat colligere, eos ab illo ſperni non poſſe, quorum infirmitatem ipſe in propria perſona eſſet expertus. Nec multò ante grauis illa de primatu diſputatio inter illos fuerat oborta, in qua Chriſtus puerulo vſus fuerat, & illum ipſis imitandum propoſuerat, & infantes ſiue puerulos omnes magnificè commendarat: deniq; illos in ſe credere teſtatus erat. Et licet aliorum omnium fortaſsis facilè obliuiſci poterant, nunquam tamen animis illorum excidere debuiſſet grauis illa Chriſti cōminatio: Quiſquis ſcandalo fuerit vni ex puſillis iſtis, qui in me credunt, melius eſſet ei, ſi circumponeretur ſaxum molare circa collū eius, & proijceretur in mare. At omnibus hiſce nō mouentur, adeò illos excæcauit quam ex ſuæ rationis figmentis conceperunt, opinio. Horū ſimiles omnino ſunt hodie Anabaptiſtæ, qui cùm credentium infantes pro ſanctis cenſeri, ſpiritus ſancti capaces eſſe, & ad fœdus ſimul & regnū Dei pertinere, negare non poſsint: tamen illis nullū in eccleſia locum eſſe volunt, & à baptiſmo excludunt, eò quòd fidem in Chriſtum profiteri nondū poſsint. Eſt autem hoc ſingulare diaboli ſtrategema, qui vt humanum genus facilius perdat, infantium ſaluti nunquam non inſidiatur, idq; non per eos modò, qui illos vel indulgentia nimia, vel praua inſtitutione corrumpunt; verumetiam per impoſtores, qui ſub religionis prætextu illos à Deo & eccleſiæ Dei conſortio alienos faciunt. Sic olim infelicibus parentibus perſuaſit, vt ſe Deo gratiſsimum cultū præſtare arbitrarentur, ſi liberos ſuos aut viuos exurerent, aut per ignem traductos nefarijs ſuperſtitionibus conſecrarent. In Papatu verò monaſteria excogitauit, quibus incluſi pueri & puellæ miſerabiliter torrentur, & non modò ſcortationibus & nefarijs libidinibus ſeruirent, verumetiā omnem Chriſti Ieſu cognitionē amitterent. At noſtro hoc ſeculo, quo Euangelij lucē Deus ſplendidius accendit, Anabaptiſtas excitat, qui non contenti eccleſias & reſpublicas ſeditioſis furoribus turbaſſe, inſuper infantes ab eccleſiæ conſortio eijciunt, in quo ſolo ſub Chriſti protectione aduerſus ipſius inſidias tuti eſſe poterant. Agnoſcamus ergo veteris hoſtis noſtri dolos & vigilemus, ne dum nimis pij & religioſi eſſe volumus, in ipſum Deum impij, & in chariſsima pignora crudeles eſſe deprehendamur.

*Exemplum humanæ rationis in Chriſti myſterijs.* Pſalm. 22. 27. 139. &c. Ierem. 1. Deute. 6. &c. Lucæ 2. Marc. 9. Anabaptiſtæ. 1. Corinth. 7. Luce 1. Hoſeæ 13. Ierem. 19. 2. Reg. 21. Pſal. 84.

Sed tranſeamus ad tertiam hiſtoriæ partem, qua docetur quid Chriſtus in iſta cauſa fecerit & pronunciarit. Primùm indignatur diſcipulis. Grauem ergo hunc lapſum fuiſſe oportuit, qui Chriſtū, quo nihil manſuetius vnquam orbis vidit, mouit, vt ijs indignaretur, quos ſibi ex toto hominum genere in peculium elegerat. Et ſanè non leuis hic error fuit, ſi rem ipſam conſyderes. Partim enim quantum in ipſis erat, puerorum ſaluti obſtabant: partim verò parentum fidem labefactabant, quæ potius confirmanda & fouenda fuerat. Deinde parentes ſimul & diſcipulos ad ſe vocat, ſicuti Lucas ſcribit, & ſimul addit: Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibeatis eos. Cauſa: Quia talium eſt regnum Dei. Nec talium modò, ſed nullorum præterea, niſi qui tales fuerint. Nam certiſsimè vobis edico, quòd quicunque non acceperit regnum Dei vt puerulus, nequaquam in illud ingreſſurus ſit. Quæ ſententia cum eo planè conuenit, quod prius dixit, quando puerili exemplo illos ad humilitatem hortatus eſt. Nec iſta modò dicit Chriſtus, ſed quod dicit facto confirmat. Nam in vlnas acceptos complectitur, & manibus impoſitis benedicit, &c. Hinc verò duo nobis in genere diſcenda veniunt.

*III. Chriſti de infantibus ſententia & doctrina.*

Primum eſt, infantes credentium Chriſto adduci debere. De omnibus enim his ex Chriſti verbis argumentari licebit; Quoruncunq; eſt regnum Dei, ij ad Chriſtum adduci debent. Infantium qui ex fidelibus naſcuntur, eſt regnum Dei. Ergo ijdem Chriſto ſunt adducendi. Minorem ipſe Chriſtus in præſenti affirmat, & ex fœderis promiſsione eiuſdem veritas dependet. Abrahamo enim dictum fuit; Ero Deus tuus & ſeminis tui. Et ne de adultioribus modò hoc intelligeretur, paruulos octauo à natiuitate die circuncidi voluit Deus, vt omnibus conſtaret, ipſos inter ſuos confœderatos cenſeri debere. Ad Chriſtum verò adducuntur infantes, quando per baptiſmum in eccle-

*Infantes Chriſto adduci debent.* Gen. 7.

ſiam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſiam recipiuntur, quæ Chriſti corpus eſt. Quia enim doctrinæ per ætatem nondum capaces ſunt, nul
la alia hos Chriſto adducendi ratio ſupereſt, niſi quàm modò diximus. Hinc eſt, quòd Apoſtoli to- Acto.10.16.
tas familias baptizarunt, quando patres Chriſti fidem recipiebant. Et ab iiſdem paruulos quoq; ba- 1.Corinth.1.
ptizatos fuiſſe veteres fatentur, inter quos Auguſtinus infantiũ baptiſmum Apoſtolicã traditionem
eſſe, non dubitauit dicere. Arguuntur ergo & confutantur hoc loco Anabaptiſtæ, qui eundem dia- Anabaptiſtæ
boli inuentum & ſummæ in Eccleſia conſcelerationis ſeminarium eſſe clamant: nec argumentis confutantur.
alijs nituntur, quàm quorum abſurditatem vel cæcus videat. Primò enim Apoſtolis dictum eſſe 1
aiunt vt prædicent Euangelium, & baptizent in nomen patris, filij & ſpiritus ſancti. Et ordi- Matth.28.
nem verborum mordicus vrgendo, paruulos baptizandos eſſe negant, eò quòd prædicationis Euan-
gelicæ nondum capaces ſint. At perperam ad infantes torquetur, quod in adultis obſeruare iuſſit
Chriſtus. Et ſi verborum pugnas ſectari libeat, nos Marcum citabimus, qui inuerſo ordine Ioan- Mar.1.
nem baptizauiſſe & prædicauiſſe ſcribit. Deinde indignum eſſe clamant, regni Chriſti myſteria in- 2
fantibus credi, qui quid in illis agatur, non intelligant. Atqui nec in veteri teſtamento circunciſio-
nis myſterium intelligebant, quæ & ipſa Chriſtum figurabat, & Apoſtolo ſignaculum fidei iuſtifi- Rom.4.
cantis dicitur: nec tamen ignorantia illa obſtabat, quò minus circunciderentur. Vel nũ infantulos
hoſce intellexiſſe dicemus, quæ Chriſtus in præſenti agebat? Num ergo ridiculus eſt Chriſtus, qui
illa facit? Nequaquàm. Vt enim regnum eius mera gratia conſtat, ita minimè rationis humanæ
ſenſu percipitur: vt ij potius ridiculi & inepti cenſeri debeant, qui ad huius calculũ omnia reuocant.
Cæterum Aiacis clypeum ſe inueniſſe putant, quando Chriſtum dixiſſe audiunt: Qui crediderit & 3
baptizatus fuerit, ſaluabitur. Hinc enim argumentantur: Nemo niſi qui crediderit, baptizari de- Marc.6.
bet. Infantes verò non credunt. Ergo baptizandi non ſunt. Hîc ego modeſtiam & religioſiorem in
Chriſti myſterijs conſyderationem in vobis deſydero, ô fratres. Cur enim tam audacter, infantes
credere negatis, cum Chriſtus illos credentium loco habeat, & multi ſcripturæ loci ea illis tribuant, Matth.28.
quæ ſola fide conſiſtere poſſunt? Nam ſanctos eſſe Paulus dicit liberos ex impari cõiugio prognatos, 1.Corinth.7.
& vos prophanos dicitis ex vtroque parente Chriſtiano genitos. Præterea infantes Deo placere, &
ſpiritus eſſe capaces, ſcriptura paſsim clamat. At ſine fide quenquam vel ſanctum eſſe, vel Deo pla- Hebr.11.
cere, impoſsibile eſt. A fide ergo infantes nequaquam alieni ſunt. At fidem (aitis) non profitentur.
Cur verò vos ab illis profeſsionem exigitis, quam non exigit Deus? Neq; enim dixit Chriſtus: Qui-
cunque fidem confeſſus fuerit, & baptizatus, &c. Sed ſolo credendi verbo vtitur. Sed agedum, qua
fronte homini fidem profitenti baptiſmum creditis, eundem verò Chriſtianorum paruulis negatis,
pro quibus ipſe Chriſtus quaſi fideiubet, quando illos in ſe credere dicit? Maior itaq; eſt apud vos
hominis authoritas, quàm Chriſti, de cuius teſtimonio tam leuiter ſentitis. Sed nuſpiam in ſcriptu- 4
ris expreſſum clamatis, quòd paruuli vel baptizari debeant, vel ab Apoſtolis ſint baptizati. Vbi re
ſpondere poteram, nuſpiam etiam nos aliquo expreſſo mandato prohiberi, ne baptizentur, nec etiam
legi, quòd illos à baptiſmo Apoſtoli excluſerint: & rationes firmiores eſſe, quæ illos baptizare iubent,
& ab Apoſtolis baptizatos eſſe probent. Sed omiſſo illo, veſtram ignorantiam vos iterum prodere
dico. Teſtatur enim Paulus Iſraelitas omnes, qui mare rubrum tranſierunt, baptizatos eſſe, & ibi-
dem eadem illis ſacramenta tribuit, quæ nos habemus. At quis in tot millibus plures quoq; infantes 1.Corinth.10.
fuiſſe dubitabit? Iidem ergo baptiſmi noſtri typum acceperunt, & falſiſsimum eſt, quòd nullnm
ſcripturæ locum haberi dicitis, qui infantes baptizatos eſſe teſtetur. Reſipiſcite igitur ô fratres, ne
dum pertinacius hæc veſtra commenta defenditis, non Chriſto duntaxat aduerſari, verumetiam
publici generis humani & eccleſiæ hoſtes eſſe cenſeamini, quãdo infantes nimis temere reijcitis, quos
rerumpublicarum & eccleſiæ ſeminaria eſſe, initiò diximus, nec vos negare poteſtis, niſi cum ratione
inſanire libeat.

Sed vt ad præſentis loci tractationem redeamus, cum Chriſtus puerulos ſibi adduci velit, id verò Parentum offi-
non alia ratione, quàm per baptiſmum fieri queat, parentum fuerit, vt ex ſe prognatos citò & reli- cia erga ſuos li-
gioſe baptizari curent: eoſdẽ verò cum adoleuerint, piè & ſanctè inſtituant, ne quos per Baptiſmum beros.
Chriſto conſecrarunt, poſtea per negligentiam aut prauam inſtitutionem corrumpant. Quod hodie
non pauci faciunt, qui liberis ſuis tunc demum conſultum putant, ſi vel quæſtuoſis & auaris artibus
vel etiam militiæ mercenariæ & ſanguinarijs Regum ſeruitijs illos mancipent. At ijdem olim ma-

gno ſuo dolore & ingenti liberorum malo ſentient, quàm infideliter parentum officio functi ſint, &c.
Deute.6. Longè aliter Deus, qui paſſim monet, vt parentes ex ſe natos à pueris ſtatim in legis ſuæ doctrina,
Exod.13. & in ſui nominis cognitione inſtituendos curent. Et Abrahamum hoc nomine commendat, quòd po-
Pſal.78. ſteros ſuos nihil eorum celet, quæ ad veram pietatem faciunt. Quia tamen multorum ea eſt negli-
Gene.18. gentia, vt proprios liberos parum curent, Chriſtiani magiſtratus fuerit, huic malo prouidere, & quod
priuatim à ſingulis peccatur, publicè per ſcholas & ſcholarum præfectos, & diligens catechiſmi exer-
citium corrigere. Quotquot verò eiuſmodi functiones ſuſceperunt, cogitent humeris ſuis onus impoſi-
tum eſſe grauiſſimum, ſed in quo fideliter obeundo de communi patria optimè mereri poſſint. Quòd ſi
verò in hoc negligentiores aut minus fidi fuerint, næ rationem Deo reddent grauiſſimã, nec impunè
ferent, ſi ipſorum culpa malè pereant, quos Chriſto tantopere curæ fuiſſe videmus.

Quomodo regnum Dei à nobis accipi poſſit

Alterum, quod in Chriſti verbis obſeruandum venit, ad totius vitæ & fidei inſtitutionem cum-
primis pertinet. Ait enim: Amen dico vobis, qui nõ acceperit regnum Dei vt puerulus, nequaquam
in illud ingredietur. Iterũ ergo puerulos nobis imitandos proponit, & ſicuti prius humilitatis exem-
plum ab illis petere docuit, ita nunc in ijs, quæ regni Dei myſteria attinent, puerulis ſimiles fieri iu-
bet. Sunt in his multa, quæ laudem & imitationem merentur, de quibus in Cap. præcedenti dictum
eſt. Ad præſentem verò locum cumprimis mihi pertinere videtur fidei obedientia, cuius ſpecimen
ſiue typus in puerulis elucet. Etſi enim ex ingenita & originali corruptione affectibus varijs ſubie-
cti ſint, facilè tamen parentum monitis & promiſſis cedunt, nec in longam deliberationem vocant
quæ ab illis proponuntur. Taliter nos quoq; affectos eſſe cõuenit, ſi regni Dei conſortio frui velimus.
Quia enim ab hoc caro noſtra abhorret, illius capaces non erimus, quoad carnis ſenſum & rationem
2.Corinth.10. audimus. Totam ergo hanc captiuam duci, & cum ſuo intellectu omni per fidei obedientiam Dei
Rom.1.16. verbo ſubijci oportet: adeò vt poſtpoſitis omnibus, quæ carnis ratio dictat, vnum Deum audiamus,
Gene.12. illum ſequamur, nec de ipſius promiſſis dubitemus. Talem Abrahamum fuiſſe legimus, quando Deo
Rom.4. vocante patriam dulciſſimam reliquit, & poſtea contra ſpem ſperauit, ſe ex emortua quaſi Sara v-
Exod.2. xore ſemen accepturum eſſe. Talis Moſes fuit, quando relicta aula & regni ſpe ampliſſima diuinæ
Hebr.11. vocationi ſeſe accommodauit. Talis Dauid, quando exul & extorris de Dei veritate non dubita-
uit, qui illi regnum promiſerat. Tales prophetæ fuerunt & Apoſtoli, qui per mille pericula intrepidi
& conſtantes durarunt, vt Deo fidem promiſſam ſeruarent. Et huius obedientiæ fructus eſt, quòd
Rom.5. electi afflictionibus adeò non ſuccumbunt, vt illis potius glorientur: quæ mundo quidem plus quàm
puerilis ſtultitia videtur, ſed reuera cœleſtis illa ſapientia eſt, quam in præſenti Chriſtus requirit,
& ſine qua regnum Dei nunquàm conſequi poterimus.

Regeneratione opus eſſe.

At cùm iſtam ex nobis ipſis non habeamus, & ingenita carnis ratio eam non modò non admittat,
verumetiam extremam ſtultitiam iudicet: conſtat nobis regeneratione opus eſſe, quæ repuera ſcere nos
faciat, vt tales reddamur, quales nos Chriſtus eſſe vult. Vnde Chriſtus alibi dicebat: Niſi homo re-
Ioan.3. natus fuerit è ſupernis, non poterit videre regnum Dei. E ſupernis id eſt, diuinitus nos regenerari
2.Corinth.3. oportere ait. Nihil ergo hîc humana ſapientia efficiet, nihil noſtri arbitrij vires conferent, quando
ex nobis ipſis ne ad cogitandum quidem idonei ſumus. Quomodo enim ad cœleſtem regenerationem,
qua filij Dei efficimur, aliquid ex ſemetipſo conferat, qui ad carnalem, qua homo mortalis & pecca-
Salus noſtra gratuita. tor natus eſt, nihil conferre potuit? Ex mera Dei gratia ſalutis noſtræ ratio tota dependet, qui nos
priuſquàm mundi fundamenta iacerentur elegit in Chriſto, qui item quos elegit & prædeſtinauit,
Ephes.1. vocare ſolet per Euangelium ſuum, idq; non externa modò prædicatione, verumetiam interno &
Rom.8. efficaci ſpiritus tractu: quos verò vocat, eoſdẽ iuſtificat, nec modò peccatis liberat et à mortis æternæ
Ioan.6. ſupplicio abſoluit, verumetiam ex ſemine verbi ſui immortalis & æterni renatos nouas in Chriſto
1.Pet.2. creaturas facit, vt cum illo glorificentur. Horum ergo memores, bonitatem hanc Dei agnoſcamus, et
Galat.6. eidem nos accommodemus aſſiduo verbi ſtudio & precibus, nec contenti ſimus, ſi nos aliquò vſq; pro-
feciſſe videamus, verumetiam ex nobis natos & noſtræ fidei commiſſos liberos piè & ſanctè inſtitui
curemus, vt ad Chriſtum Ieſum adducti, in illo adoleſcant, illi ſeruiant, & cum eodem æternum vi-
uant. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA LXXXIII.

**Et egrediente eo in uiam, quidam cùm accurriſſet, & accidiſſet ei ad genua, interrogauit eum: Magiſter bone, quid faciam ut uitam æternam poſſideam? Ieſus autem dixit ei: Cur me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus, nempe Deus. Mandata noſti: Ne mœcheris, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimoniũ dicas, Ne quem damno afficias, Honora patrem tuum & matrem.**

Argumentum & uſus præſentis loci.

*Poſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus de matrimonij dignitate & coniugum officijs, item de infantibus ſibi adducendis diſſeruit, noua tractatio ſequitur, qua de iuuenum & adultorum ſtudijs, de opum item ſiue diuitiarum vſu (in quo tota ferè rei domeſticæ adminiſtratio conſiſtit) diſputatur: & ita quidem, vt hinc omnes diſcant, quæ vera ſit et compendioſiſſima beatitudinis conſequendæ ratio: vnà cum multis alijs, quæ ſuo loco & tempore videbimus.*

Occaſio tractationis præſentis. Matth. 19. Luc. 18.

*Tractationi huic cauſam & occaſionem præbuit quidam, qui ad Chriſtum accedens rogauit, quid facere ipſum oporteat, vt vitam æternam aſſequi poſſit. Hunc verò iuuenem fuiſſe ex Matthæo patet, Lucas eundem principem & non vulgaris dignitatis hominem fuiſſe ſcribit. Opum certè & diuitiarum abundantiam omnes ſimul illi tribuunt. At omnia hæc longè ſuperat, quòd à Chriſto dilectum fuiſſe poſtea audiemus. Quamobrem non oſcitanter nobis conſyderanda ſunt, quæ de hoc dicuntur. Primò accurriſſe dicitur, quod magni ſtudij & ardoris indicium eſt. Deinde ad genua illi procidit, vt corporis geſtu animi ſubmiſſionem, & quanti ipſum faciat, teſtetur. Poterat hoc in homine opulento & publicis honoribus illuſtri planè ſtupendum videri, ſi cogitemus, Chriſtum tunc temporis omnibus eius loci & ordinis hominibus inuiſum & exoſum fuiſſe. Præterea honorificè illum compellat. Nam magiſtrum agnoſcit, & quidem bonum, quo nomine illum ab illis diſtinguere videtur, qui tunc temporis magiſtri & doctores videri volebant. Poſtremò magni fecerit oportet Chriſtum, quando quæſtionem de vita æterna conſequenda ipſi proponit.*

Iuuenes uitam æternam quærant.

*Et ſanè præclarum eſt, & non vulgare animi pij & religioſi ſpecimen, quòd de vita æterna interrogat, cùm & iuuenis eſſet, & diues, quæ duo ferè homines abſtrahunt, quò minus de futuris & cœleſtibus cogitent. Imò ſi verum fateri libeat, illum omnes alios Chriſti ſectatores longè ſuperauiſſe dicemus. Quis enim hactenus de vita æterna illum interrogauit? Secuti ſunt quidem ex vulgo innumeri: ſed hos omnes miracula trahebant, quibus ſe aut gratis paſci, aut morbis liberari poſſe ſperabant. Quare illis dicebat Chriſtus: Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia comediſtis de panibus & ſaturati eſtis. Item: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Apoſtolos autem in Chriſto regnum terrenum potius quàm cœleſte ſomniaſſe, notius eſt, quàm vt multis probari oporteat. Solus ergo hic reperitur, qui animo ſyncero de vita æterna interrogat. Diſcant huius exemplo iuuenes, quis nam omnium ſtudiorum ſcopus ipſis propoſitus eſſe debeat: nimirum, vt in cœlis æternum viuere poſſint, vbi vitæ huius curſum piè & ſanctè abſoluerunt. Nec audiendi ſunt, qui quæſtionem iſtam ad iuuenes nequaquam pertinere clamant, et proinde illam in extremam vſq; ſenectam differendam eſſe contendunt. At longè aliud ipſa iuuenilis ætatis conditio & natura requirit: quæ cùm affectibus & concupiſcentijs quàm maximè ardeat, & huius ſeculi voluptates ſummi boni loco habeat, futuræ et cœleſtis vitæ conſyderatione cumprimis in officio retineri debet. Deus certè (vt nuper monuimus) à pueris ſtatim nos in ſui nominis & operum ſuorum cognitione vult inſtitui. Et Legis diuinæ ſtudium iuuenibus potiſſimum Dauid commendat, dicens: Quo pacto adoleſcens emendabit vitam ſuam? nempe ſi eam cuſtodiat vt dictat verbum tuum. Et Ioannes Apoſtolus à iuuenibus hoc imprimis exigit, vt fortes ſint, & Dei verbo animati malum illum deuincant. Nec deſunt exempla, quæ ſanctos Dei cultores in ætatis flore pietati cumprimis ſtuduiſſe, & de vita æterna quàm maximè ſolicitos fuiſſe teſtantur. Talem enim Iacobum fuiſſe legimus, cum Ioſepho filio. Talis Daniel cum ſocijs ſuis deſcribitur. Et in Timotheo ſuo Paulus hoc præcipuè prædicat, quòd à pueris ſacras literas nouerit, quæ ipſum eruditum reddere poſſint ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sed quid opus eſt ea commemorare, quæ veri Dei cultores fecerunt, quando qui inter gentes iuuentutis in-*

Ioan. 6. & 4. Luc. 24. Actor. 1. Deut. 6. Exod. 13. Pſal. 119. 1. Ioan. 2. Gen. 28. 39. Dan. 1. 2. 3. 2. Tim. 3.

ſtituendæ præcepta tradidêre, religionis curam ante omnia commendarunt: morum verò licentiam à iuuenibus adeò alienam eſſe voluerunt, vt vulgò tritum fuerit iſtud Latinorum prouerbium, Maturè fias ſenex, ſi velis diu eſſe ſenex? Quod nonnulli quidem de valetudinis cura expoſuerunt, quæ diu viuere cupientibus cordi eſſe debeat: ſed haud dubiè ad animi ſalutem potius reſpexerunt ſapientes viri, quæ nobis à prima ætate commendatiſsima eſſe debet. Et ſanè hinc maximè oritur noſtri ſeculi corruptio, quòd iuuenes, dum religionis & vitæ æternæ ſtudium nihil ad ſe pertinere putant, in vitijs teterrimis conſeneſcunt, et ne ſenes quidem illud ſtudium magni facere poſſunt, à quo omni vitæ tempore abhorruerunt. Nec immeritò incurabili cæcitate & contumacia eos mulctat Deus, qui ætatis florem diaboli ſeruitio potius quàm ipſi impendere volunt, cui tamen ſeipſos & omnia ſua debent. Semper ergo meminerint iuuenes, breuiuſculum eſſe vitæ tempus et tacitis annis nos ſeneſcere, nec quicquam cogitantibus mortem obrepere, quæ non huius modò vitæ commoda aufert, verumetiam nunquam finiendis cruciatibus eos mancipat, qui omiſſo vitæ æternæ ſtudio carnis voluptatibus ſe totos conſecrauerunt.

Vita æterna apud ſolum Chriſtum quæri debet.

Obſeruabis præterea, quòd noſter hic iuuenis de vita æterna interrogaturus Chriſtum accedit, cùm non deeſſent illi ſcribæ & ſacerdotes, qui inter Iudæos legis ſcientiam & myſteriorum ſalutis cognitionem profitebantur. Quin iſtorum opera illum prius vſum eſſe, poſtea patebit, quando ſe à pueris in legis obſeruatione verſatum eſſe teſtatur. At non potuerunt animo eius ſatisfacere, qui omiſſo eo qui præcipuus legis finis & ſcopus eſt, ad externas modò ceremonias & operum merita relegabant. Cogitur ergo illis relictis alibi quærere quod animi ipſius famem pellat, & conſcientiam anxie ſolicitam recreet & tranquillam reddat. Quiſquis enim bibit ex aqua, quam ipſe haurit, ſitiet iterū; at qui ex aqua biberit, quam Chriſtus propinat, non ſitiet in æternum. Senſit idem Paulus, qui cùm iuxta phariſæorum ſectam exquiſitiſsimam viueret, & iuxta iuſtitiam legis, quoad hominum iudicia, irreprehenſibilis eſſet: omnia tamen hæc pro damnis habuit, vt Chriſtum apprehenderet, in quo ſolo certa & indubitata ſalutis fiducia habetur. Admonemur ergo, nos quoque ea quæ ad vitam æternam faciunt, apud vnum Chriſtum quærere debere. Nam vt hunc nobis ſaluatorem ab æterno conſtituit Deus, ita eundem catholicum & irrefragabilem ſalutis doctorem eſſe vult, quem omnes audire debeant, quicunq; ſalutem conſequi volunt. Et hunc nobis à Deo ſapientiam factum eſſe Paulus teſtatur, in quo omnes ſapientiæ et ſcientiæ theſauri reconditi ſunt. Plurimùm ergo errant, quotquot hodie, neglecto Chriſto, homines ſibijpſis doctores & magiſtros eligunt, & Conciliorum determinationem expectant, in quibus certi nihil haberi poteſt, cùm in his iam inde ab initio multa dubiè & ambiguè, multa etiam ſibi mutuò repugnantia decreta ſint.

Marc. 7.
Matth. 15. 23.
Ioan. 4.
Philip. 3.
1. Pet. 1.
Iſaiæ 2. 61.
Matth. 17.
1. Cor. 1.
Coloſ. 1.

Error Iudaicus de operum merito.

Rom. 9. 10.
Iſaiæ 61.
Matth. 9.

Sed & ipſam quæſtionem iuuenis inſpicere oportet. Quid faciam (inquit) vt vitam æternam poſsideam? Latet in verbis hiſce Iudaicus error. Quia enim Iudæi phariſæorum traditionibus ſeducti, ex lege iuſtitiam ſperabant, de ſolis operibus ferè ſoliciti fuêre, nec interim ingenitam noſtræ naturæ corruptionem agnouerunt, qua fit, vt nihil ex nobis ipſis boni facere poſsimus, & cui ſolus Chriſtus medetur, quem nobis medicum datum eſſe Iſaias docet, & ipſe in Euangelio diſertè fatetur. Eodem igitur errore hic quoque faſcinatus, ſe vitam æternam facilè aſſecuturum putat, modò edoceatur, quid ipſi ſit faciendum. Similiter errant hodie, qui ſalutis rationem ab operibus incipiunt, quod perinde eſt, ac ſi quis ægrotum lecto decumbentem & omnibus membris debilitatum curaturus, initiò ſtatim ad ſaltandum & currendum hortetur. Nam & huic prius morbi agnitio neceſſaria eſt, & eidem prius remedium adhiberi oportet, quàm ſaltare aut currere iubeatur: Ita hominem prius in ſuijpſius cognitionem inducere, et eidem corruptæ naturæ remedium adhibere oportet, quàm vitæ melioris officia ipſi præſcribantur. Niſi enim id fiat, in ipſis bonis operibus peccabit, dum in illis ſalutis meritum conſtituet. Vidit hoc Chriſtus quoq;, vt ex illius reſponſione patebit, quæ bimembris eſt.

Chriſtus boni titulum quomodo detrectet.

Primò ait: Cur me dicis bonum? Nemo bonus eſt, niſi vnus, nempe Deus. Boni titulum detrectare videtur Chriſtus, qui vt verè Deus, ita etiam perfectè bonus eſt. At nec Deum nec bonum ſe eſſe negat: ſed primò iuuenis intentionem reſpicit, qui bonum dicebat, non quòd Dei filium & omnis boni authorem agnoſceret, ſed quòd hominum conſuetudinem peruerſam ſequeretur, qui titulos vni & ſoli Deo conuenientes, ſibijpſis ambitioſe & inſolenter tribuunt. Id quod hodie nimis vulgare eſt, quando ne à Maieſtatis quidem & ſanctitatis & gratiæ titulis abſtinetur, quæ tamen in nobis

nulla ſunt, niſi Deus noſtri miſertus nos à maledictionis & damnationis æternæ ignominia liberet.
Olim officiorum titulis contenti erant veteres, & vt illis reſponderent ſtudebant, qui in aliquo excel
lentiori dignitatis gradu erant conſtituti. Hodie verò officij ſui immemores pleriq; nudis titulis ſu-
perbiunt, &c. Huic ergo ambitioni, quæ iam tūc regnare incipiebat (vt ex alijs locis patet) Chriſtus Matth. 23.
obiter mederi voluit: maximè quando illi cum diuite & principe res erat. Deinde hæc dicendo, oc-
caſionem dare vult iuueni cogitandi de ijs, quæ interrogabat: Quaſi diceret: Quæris quid boni facias,
vt vitam æternam conſequaris? Atqui ſola boni vox te hîc edocere poterat. Quia enim ſolus Deus
bonus eſt, vtiq; bonum dici nihil debet, niſi quod illius voluntati congruum fuerit: imò cùm ſolus ille
bonus ſit, nihil boni tu vnquam facies, niſi ille hoc ipſum in te fuerit operatus. Quin ergo illum obſer-
uas, & omiſſa tuarum virium fiducia, totus ad illius gratiam conuerteris? &c.

Interim non temere dici putemus, ſolum Deum bonum eſſe. Ratio enim huius dicti certa & ſoli- Solus Deus bo-
da eſt, quòd vt homines ex primi parentis lapſu natura corrupti ſunt, ita omnem hanc mundi ma- nus eſt.
chinam ſecum in ruinam traxerunt. Terram certè propter nos maledictioni obnoxiam eſſe Moſes Gen. 3.
teſtatur: & Paulus creaturam hanc omnem propter nos vanitati ſubiacere, & nobis congemiſcere Rom. 8.
ait, vt tandem vnà nobiſcum liberetur. Quòd ſi hominem ſpectes, in peccatis omnes concipimur & Pſalm. 5.
naſcimur, & figmenta cordis humani ab ineunte ætate praua ſunt, nec quicquam ex nobiſipſis boni Geneſ. 8.
proferre poſſumus. Reſtat ergo vnum & ſolum Deum bonum eſſe, nec in quenquam alium hoc nomen
verè referri debere. Huius autem ſententiæ conſyderatio de multis nos admonet, quæ cognitu cum-
primis neceſſaria ſunt. Si enim vnus & ſolus Deus bonus eſt, nos verò omnes natura mali ſumus,
quid obſecro ſuperbimus? quid gloriamur, quaſi ex nobiſipſis habeamus aliquid eorum, quæ ad ſalu-
tem noſtram faciunt? Quid item alios præ nobis contemnimus, cum vna & eadem ſit omnium no-
ſtrûm conditio? Rurſum, ſi mali ſunt ſuapte natura omnes homines, quid mirum fuerit, ſi ab homine
nobis malum aut damnum aliquod inferatur? Si lupus ouem dilaniet, nemini hoc mirum videbitur.
At hominem homini lupum eſſe olim prouerbio inter gentes quoq; dictitatum fuit. Præterea, ſi mali
ſumus omnes nos, quid miramur, tot in mundo mala graſſari, cùm à Deo, qui vnus bonus eſt, pleriq;
abhorreant? Aut quæ obſecro eſt illa hominum peruerſitas, quòd Deo fidere dedignentur, cuius be-
neficam erga ſe voluntatem quotidie ſentiunt, hominibus verò fidant, quos mendaces & impoſtores
eſſe, & priuatum commodum cum aliorum incommodo quærere, toties experiuntur?

Sed alterum reſponſionis Chriſti membrum videamus, quo ad quæſtionem iuuenis directè reſpon- Chriſtus ad le-
det, dicens: Mandata noſti, &c. Vel vt Matthæus habet: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: gis præcepta re-
nimirum hæc, Ne mœcheris, ne occidas, &c. Quo loco ſibijpſi Chriſtus contradicere videtur, cùm alibi legat.
fidem vnam doceat, & in ſe credentibus vitam æternam polliceatur: imò quoad legis opera, dicit: Si Ioan. 3. 4. 5.
feceritis omnia, dicite, Serui inutiles ſumus, &c. Nec deſunt hodie, qui præſentis loci authoritate ad 6. &c.
ſtabiliendam operum noſtrorum iuſtitiam abutuntur, vt iuſtitiam fidei oppugnent, quæ nobis ex Luc. 17.
mera Dei gratia, nullo noſtro merito, obtingit. Clamant illi, à Chriſto disertè dictum eſſe: Si vis ad
vitam ingredi, ſerua mandata. Ergo (inquiunt) quiſquis mandata ſeruauerit, vitam conſequetur.
Atqui Chriſti ſententiam minimè negamus, imò illud legis quoq; veriſſimè dictum eſſe agnoſcimus: Leuit. 18.
Qui fecerit iſta, viuet in eis. At videndum eſſe dicimus, quænam Chriſti intentio, quodúe inſtitu- Rom. 10.
tum fuerit, cùm iſta diceret. Res illi erat cum homine, qui etſi pietatis & ſalutis ſtudio teneretur, ſe-
ipſum tamen adhuc ignorabat, & vitam æternam humanis viribus, ac noſtrorum operum meritis
acquiri poſſe arbitrabatur. Totus ergo in hoc eſt vt latentem illius morbum arguat, & vel inuitū
ad thronum gratiæ confugere cogat eum, qui in propria iuſtitia ſibijpſi iam nimium placebat. Et
ideo ſecundæ modò tabulæ meminit, cuius opera vt manifeſta magis ſunt, ita præſtitu leuiora viden
tur. At ſi eadem ad eum ſenſum examinentur, quem Chriſtus tradit, & quem vltimum Decalogi Matth. 5.
præceptum de concupiſcentia monſtrat, profectò neminem mortalium inueniemus, qui illa præſtare Iacob. 3.
poſſit: quando (vt Iacobus ait) in multis delinquimus omnes: Imò cum Paulo dicere cogentur ſin- Rom. 7.
guli: Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccatum, &c. Quod ipſum iuue-
nis hic paulò poſt expertus eſt. Vt primùm enim externa præceptorum obſeruantia gloriantē Chri-
ſtus ad perfectam dilectionem relegauit, mox toto animo conſternatus diſceſſit, qui iam ſcalis ſuo Legis finis &
Marte factis cœlum conſcenſurus putabatur. Quoties ergo Legis & præceptorum ipſius mentio fit uſus.

in ſcripturis, ad illius finem nos reſpicere conuenit, qui eſt, vt in peccati & naturæ corruptæ cognitionem pertractos, Chriſto adducat, qui quod nobis factu impoſſibile erat, ſuo merito ſarciuit. Quo nomine Paulus Chriſtum Legis finem, hanc verò pædagogum eſſe, dixit, qui nos ad Chriſtum deducat, qui nobis à Deo patre iuſtitia & ſatisfactio factus eſt, vt qui illum fide vera amplexantur, eius iuſtitiæ conſortes fiant, quam ille nobis ſuæ incarnationis, obedientiæ et mortis ſuæ merito acquiſiuit. Quapropter ex præſenti loco ita potius argumentari licebit: Si vis ad vitã ingredi, Legis præcepta neceſſariò ſeruanda ſunt. At illa nemo ſeruare aut præſtare poteſt. Ergo nemo ad vitam ingredi poterit, niſi aliunde ſarciatur defectus, quem in ſemetipſis omnes homines reperiunt. Vnde ſimul ſequitur, vanam & inutilem eſſe quæſtionem omnem, quæ de hominis operibus & illorum meritis mouetur. Quòd ſi verò per legis opera ſalus acquiri non poteſt, quis obſecro hominum traditionibus apud Deum locus erit, quas ille iam pridem ſua ſententia iugulauit: Fruſtra me colunt, docentes traditiones hominum? &c. Interim cùm præceptorum Decalogi obſeruationem Chriſtus requirat, & idem charitatis mutuæ ſtudium præcipiat, quæ horum completio ab Apoſtolo dicitur: ſatis conſtat, fidei doctrinam minimè ijs patrocinari, qui Chriſto & illius merito turgidi, vitam parum Chriſtianam viuunt, & in omne genus ſcelerum indomita licentia effunduntur. Etſi enim ſola fides nos Chriſto inſerat, & ſalutis in hoc conſortes reddat, eadem tamen hæc non ſecuros & oſcitantes reddit, ſed in Dei verbum (vnde illa enaſcitur) intenta, facit vt in Chriſto fructum feramus multum, & fidem, quam ore profitemur, vitæ conuerſatione teſtemur. Quare etſi operibus iſtis meritum planè nullum ſubſit, eadem tamen officij cauſa neceſſariò præſtari debent, ne ex illorum numero eſſe deprehendamur, quibus olim dicet Ieſus Chriſtus: Diſcedite à me operarij iniquitatis: Nec enim omnis qui dicit mihi Domine Domine, ingredietur in regnum meum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt. Horum itaq; memores, pietati à pueris ſtudeamus, huius verò rationem veram diſcamus ex vno Chriſto, in quo omnem quoq; ſalutis fiduciam nos repoſitam habere conuenit. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Rom. 10. Galat. 3. 1. Cor. 1.

Iſaiæ 59.

Fides non tollit opera bona. Rom. 13.

Rom. 10. Ioan. 15.

Matth. 7.

## HOMILIA LXXXIIII.

**Ille uerò reſpondens dixit ei: Magiſter, hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea. Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deeſt. Abi, quæcunque habes uende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & ueni ſequere me ſublata in humeros cruce. Ille uerò mœſtus factus propter hunc ſermonem, abijt triſtis: habebat enim bona multa.**

Argumentum & uſus præſentis loci. Rom. 7.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus iuuenem de vita æterna interrogantem ad Legis præcepta delegauit. Id verò non ita accipi debet, quaſi ex Lege quiſquam iuſtificari poſſit. Etſi enim illa (vt Paulus ait) per ſe bona & ſancta ſit, in nobis tamen iram operatur, dum & manifeſta peccata & ingenitam nobis corruptionem arguit, qua impediti illam non poſſumus implere, et proinde aliena iuſtitia opus habemus: ea nimirum, quam nobis Deus in Chriſto offert, cuius non alia ratione, quàm per fidem capaces & conſortes efficimur. At quia hæc pauci agnoſcunt, & proinde ſuarum virium & operum fiducia efferuntur: Deus nobis legem inſtar ſpeculi propoſuit, in quo noſtræ naturæ vitia et infelicem conditionem ſpectemus, eiuſq; cognitione humiliati, ad gratiam ipſius confugiamus, cuius theſauros ille nobis in Chriſto aperuit. Nec aliam Chriſto huius ſui conſilij rationẽ fuiſſe, præſens hic locus oſtendit, quo confidentem iuuenis animum magis arguit, & ſic in genere docet, quàm ſtultum ſit proprijs humanæ naturæ viribus aliquid tribuere in ijs, quæ ad ſalutis negotium pertinent, &c.

Iuuenis legis iuſtitiam ſibijpſi uendicat. Matth. 5.

Reſpondet enim Chriſto iuuenis: Magiſter, hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea. Arrogans ſanè vox, & plena ignorantiæ. Si enim legem eo ſenſu intellexiſſet, quem Chriſtus alibi tradit, nunquam iſta dicere fuiſſet auſus. Duplicem ergo in ſe ignorantiam prodit: alteram qua legis ſenſum non intelligebat, alteram verò, quòd nec ſuas vires, ſeu potius virium ſuarum corruptionem, adhuc verè perſpectam haberet. Nec tamen hos dicto contentus, apud Matthæum addit: Quid adhuc mihi deeſt?

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

deeſt? Adeò illum fefellit propriæ iuſtitiæ & virium ſuarum fiducia, vt non modò de mandatorum legis obſeruatione gloriari auſit, verumetiam ad altiora & grauiora, ſi quæ facíunda reſtent, aſpiret. Ita ſolent, qui ſibijpſis in ſuis operibus placere incipiunt: quorum confidentia tandem eò vſque progreditur, vt operum ſuorum merita coram Deo recenſere, & cum illo quaſi rationem datorum & acceptorum inire audeant: cuius rei exemplum in phariſæo Chriſtus apud Lucam proponit. Attamen tolerabilior eſt huius noſtri error, quòd illum ſtudio ſalutis arſiſſe, nec quicquam impudentius finxiſſe, ſed ingenita cæcitate deceptum eſſe conſtat. Dilexit enim illum Chriſtus, qui hypocritam & impudenter mentientem diligere non potuiſſet. Licet ergo vana perſuaſione fallatur, non paruam tamen laudem meretur, quòd ita à pueris vitam inſtituit, vt de externa obedientia & morũ integritate verè gloriari poßit. Quem enim hodie dabis eius conditionis ac ætatis, qui hoc ipſum de ſe dicere queat? Plures fortaſſe reperies, qui decalogi præcepta ne norunt quidem: quando ea eſt noſtri ſeculi corruptio, vt vulgò rideantur, qui illorum obſeruationi ſtudent. Docet autem exemplum hoc, quantum poßit pia inſtitutio, ſi à pueris ſtatim adhibeatur, & ad Dei præcepta aſſueſiant, quorum cogitationes & figmenta alioqui natura praua ſunt. Corrigit enim illa frequens & diligens legis diuinæ meditatio; maximè, ſi exempla ſimul conſyderentur, quæ in temerarios huius tranſgreſſores Deus omnibus ſeculis edidit. At ſi iſta negligantur, mox ingenita corruptio dominatur, quæ tales fingit homines, qui tandem & ſibijpſis & multis alijs exitio ſunt & dedecori.

Lucæ 18.
Geneſ. 8.

Quærit quid ſibi deſit.

At cumprimis obſeruabimus, quòd quærit quid porrò ipſi ſit faciendum. Quid (inquit) adhuc mihi deeſt? Deeſſe quidem ſibi aliquid ſentiebat, ignorabat autem quid illud eſſet. Itaq; anxia & diligens legis obſeruatio animum eius tranquillum reddere, aut æſtuantis conſcientiæ terrores reprimere non potuit. Accidit hoc omnibus qui ex operibus ſuis iuſtificari volunt. Etſi enim omnia præſtent, quæ ad externam vitæ honeſtatem & iuſtitiam faciunt, & quo ad hominum iudicia, iuſtißimi videantur, manet tamen conſcientiæ morſus, qui facit, vt famem ſitimq; animarum ſubinde ſentiant, nec vnquam requieſcere poßint. Eſt illud hodie in Papiſtis videre, qui quò magis occupantur ſuis ſuperſtitionibus, eò plura ſibi agenda ſupereſſe vident, nec tamen quodnam illud opus Dei ſit intelligunt, quod ſolum animam ſaturare & tranquillam reddere poteſt. Imò cùm multa fecêre, & inſuper monachos & ſacrificos conduxêre, qui ipſorũ ſalutem precibus, pſalmodijs, ieiunijs et operibus ſupererogationis (vt loquuntur) adiuuent, hoc tamen vnum inde referunt, quod iam morituri, ignis purgatorij terroribus exagitantur, & fraudatis ſæpe legitimis hæredibus opes ſuas monachis legant, vt illorum interceßione pœnis et cruciatibus iſtis liberentur. Nos ergo omißis iſtis, qui religionẽ quæſtu metiuntur, ab vno Chriſto pendeamus, cuius meritum peccatis noſtris omnibus expiandis ſufficit, quem qui fide vera apprehendit, idem nec ſitiet nec eſuriet in æternum. Ioan. 4. 6.

Ioan. 6.

Proficiendum quotidie in lege Domini.

Laudandus interim eſt pius iuuenis iſtius affectus, qui defectum ſuum non dißimulans, ſcire cupit, quid ipſi deſit, nimirum vt proficere et defectum hunc ſarcire queat. Eſt hoc obſeruatu per quàm neceſſariũ. Quia enim natura corrupti ſumus, niſi indies progrediamur, mox vel torpemus, vel etiam relabimur. Et quia viæ Domini dicuntur illius præcepta, viatores nos imitari conuenit, qui etſi aliquò vſq; progreßi ſint, non ſubſiſtunt tamen, donec eò, quo tendunt, peruenerint. Arguuntur his noſtri ſeculi homines, qui ſibi nihil deeſſe arbitrantur, & ſecuri omne ſuum officium negligunt, quàmuis nihil adhuc præſtiterint eorum, quæ Deus à nobis requirit. Clamant illi, ſi quando vrgeantur: Quid mali facio? Quibus ego vicißim dico: Quid verò facis boni? Quaſi verò non malũ ſit, tempus & ætatem malè collocare, & diuinitus oblatas bene agendi occaſiones negligere. Atqui damnatur ſeruus ille inutilis, qui talentum ſuæ fidei creditum defoderat, quòd nihil feciſſet eorum, quæ Deus nobis agenda præſcribit. Et apud prophetas Deus clamat: Recede à malo, & fac bonum. Item, Ceſſate male facere, & diſcite bene facere, &c. Sed de his ipſe Chriſtus modò diſſeret.

Pſalm. 25. 119.
Iſaiæ 2.
Matth. 25.
Pſalm. 34.
Iſaiæ 1.

Chriſtus cum infirmo & ignorante amicè agit.

Intuetur ille iuuenem iſta de ſeipſo dicentem, & diligit eum, nimirum ob pietatis ſtudium & animi integritatem, licet illi adhuc multum ad perfectionẽ deeſſet. Eſt enim propriũ Chriſti laborantes inuitare, arundinem quaſſatam non conterere, linum fumigans non extinguere, ſed infirmitatibus noſtris mederi. Amicè ergo reſpondet, & duo illi dicit. Primum, Vnum (inquit) tibi deeſt. Poterat multa nominare Chriſtus, ſed quia curandus erat, nõ conſternandus, in breuem ſummam omnia contrahens, in vno tantum modò illum adhuc deficere, ait, Ita verò docet, cum imperfectis & infirmis,

Matth. 11. 12.
Iſaiæ 42. 53.

qui proficere ſtudent, amicè & humaniter agendum eſſe, ita vt illorum defectus extenuemus, quantum eius fieri poteſt, ne illorum multitudine & grauitate territi, ſpem omnem abijciant. Quod enim hic

Ioan. 3. 4. &c.

facit Chriſtus, hoc ipſum cum Nicodemo & Samaritide agens obſeruauit, & multis alijs, quibuscum illi negotium fuit. Alia eſt autem impiorum ratio, qui vel in peccatis gloriantur & improbè ferociunt, vel impudenti hypocriſi ſeſe venditant. Horum enim ſcelera argui oportet, vt licet ipſi incurabiles maneant, alij tamen horũ exempla ſibi cauenda, non imitanda, eſſe intelligant: cuius rei expreſſa Dei mãdata, ad hæc prophetarũ & Apoſtolorũ, imò ipſius Chriſti exẽpla in ſcripturis habentur.

Chriſtus omnia uendere, & ſequi iubet.

Alterum quod in reſponſione ſua Chriſtus agit, præceptum nouum eſt, quo illum edocet, quid præterea facere debeat. Abi (inquit) quæcunq; habes vende & da pauperibus, & habebis theſaurũ in cœlo, & veni ſequere me ſublata in humeros cruce. Vbi nobis ante omnia ſcopus ſiue finis, quẽ Chriſtus propoſitum habuit, obſeruandus eſt. Dum enim hunc quidã non reſpiciunt, loco hoc turpiter abutuntur, partim quòd generale præceptũ faciunt ex eo, quod vni tantũ, nec ſine grauiſsimis cauſis (vt mox audiemus) Chriſtus præſcripſit: partim quòd in hoc ſitam eſſe arbitrantur Chriſtianam perfectionẽ, ſi quis nulla vrgente neceſsitate, ſua omnia relinquat, & vel eremum vel monaſterium ingreſſus vi-

Præceptũ hoc non generale eſſe.
Marc. 2. 5.
1. Tim. 5. 6. etc.
2. Cor. 8.

tam viuat ſolitariam, nec ſibijpſi nec alijs vtilis. At nequaquam generale præceptum hic tradi, ex eo conſtat, quòd ab eodem Chriſto alijs longè diuerſum ab hoc præcipitur. Paralyticum enim & dæmoniacum, è quo legionem eiecerat, domum ad ſuos abire iubet. Nec in lege veteri modò, verumetiã in nouo teſtamento leges œconomicas tradit, & nominatim diuites inſtituit, quomodo opibus & diuitijs vti debeant. Imò cùm de eleemoſyna & pauperum ſubuentione Paulus ex profeſſo ageret, minimè requirebat, vt quis omnia ſua erogaret. Ait enim: Non vt alijs relaxatio ſit, vobis autem anguſtia. Nec exempla deſunt eorum, qui & Dei cultores fuerunt fideliſsimi, & opibus abundarunt, quibus ad Dei gloriam & proximorum ſubuentionem magna cùm laude & fructu haud vulgari ſunt vſi. Nec ſtatim in exemplũ trahi debet ab omnibus, quod vni alicui dicitur, cùm perſonales quoq; vocationes ſint: quas ſi quiuis temerè ſequatur, fortaſsis ſub pietatis prætextu ſcelus impiſsimum patrabit, quod olim Iſraelitis accidit, quãdo iuxta Abrahami exemplũ proprios liberos immolabant, &

In opum amiſſione non ſita eſt Chriſtiana perfectio.
1. Cor. 13.

in parricidio pietatẽ quærebãt. Præterea non ſitam eſſe in hoc externo opere Chriſtianam perfectionem, ex philoſophorum exemplis patet, quorum multi etſi à Chriſto alieniſsimi eſſent, opes ſuas reliquerunt, ne virtutis impedimenta eſſent: aliqui verò eaſdem in mare demerſerunt, inter quos Crates Thebanus præcipuè celebratur. Sed & Paulus ſcribit: Si inſumam alendis egenis omnes facultates meas, imò ſi tradam corpus meum vt comburar, charitatem verò non habeam, nihil iuuor.

Finis & uſus huius præcepti

Quid ergo dicemus? Chriſtum ex vniuerſalibus præceptis, quæ prius citarat, peculiare quid & perſonale elicere, quo latentem iuuenis morbum arguat, quem ille in ſemetipſo nondum agnoſcebat. Conſtat enim legis hunc finem & ſcopum eſſe, quoad nos, vt hominem totum Deo vendicet per fidei

Matth. 5.
Num. 15.
Deut. 4. 6. 12.
Leuit. 19.

obedientiam. Nec enim externa modò opera præcipit, ſed concupiſcentiæ etiam frenum inijcit, & prohibet, ne quod nobis bonum videtur faciamus, ſed ab vnius Dei voluntate pendeamus. Adhæc Deum ex toto corde & totis viribus, proximum verò perinde vt ſeipſum diligere iubet. Quod qui præſtant, eos omnibus quæ habent ex animo renunciare oportet, ne bonorum huius ſeculi deſiderio & amore ſuperati, vel Dei gloriam & honorem, vel proximi charitatem negligant. Ita enim inter ho-

Matth. 6.

mines comparatum eſt, vt Deo ſimul & Mammonæ ſeruire impoſsibile ſit: nec vnquam in vno homine conuenire poſſunt vera in Deum atq; homines pietas, & diteſcendi ſtudium, quod Dei immemores ſimul & inexplebiles, & proinde immites quoque & miſericordes facit omnes eos, qui ſe huic addixerunt. At noſter hic in magna opum & honorũ abundantia conſtitutus, ſe officio ſuo erga Deum & homines egregiè defunctum eſſe arbitrabatur, quòd in neminem hucuſq; iniurius fuiſſet, nec interim animaduertebat auaritiæ affectum, quo excæcatus, opes Deo ſimul & hominibus præferre conſueuerat. Ad intermiſſa ergo veræ pietatis & obedientiæ fidei officia illum Chriſtus ablegans, hoc ipſum ab illo requirit, quod veris Dei cultoribus frequenter accidit, vt nimirum bonis ſuis omnibus cedere, & illa hoſtibus diripienda relinquere cogantur. Et quidem mitiùs cùm hoc agitur, quando illi permittit Dominus, vt ipſe ſuas opes diſtrahat, & pro arbitrio pauperibus diſtribuat, quos Deo commendatiſsimos eſſe non ignorabat. Hoc autẽ illi potiſsimùm præſcribit, à quo ipſius ingenium ſciebat cumprimis abhorrere, quò citius & facilius videret, quàm procul adhuc ab ea obedientia ſiue

iuſtitia

iuſtitia abeſſet, quæ in lege requiritur. Ad eundem modum frequenter nobiſcum agit Deus, quando vel morbis diuturnis, vel exilio, vel infamia huius ſeculi, vel conſcientiæ tentationibus fidem noſtram & obedientiam examinat. Imò hoc conſilio ferè eam crucem nobis imponit, quæ nobis omnium acerbiſſima videtur: vt facilius colligamus, quàm nullæ ſint vires noſtræ, & quòd illius gratia nos per Chriſtum ſuſtentari oporteat, qui ſuo merito noſtris defectibus ſolus medetur. In præſenti ergo ita noſtro huic dicere videtur: Gloriaris tu quidem de obedientia, & iuſtitia legali. Sed agedum videamus qui ſis. Lex Deo ſimpliciter obedire, nec tantum à maleficio abſtinere, verùmetiam omnibus benefacere, adeoq́ proximum perinde vt temetipſum diligere iubet. Hoc ſi præſtitiſti hactenus, vnde ergo tanta tibi opum abundantia, cùm non deſint egeni & inopes, in quos illas erogare poteras? Cur multos paſſim eſurire & algere pateris, cùm tibi ad luxum multa ſuperſint? Cur theſauros tuos & inexplebile horum congerendorũ ſtudium legi Dei præfers, quæ prohibet, ne ſit mendicus in Iſrael? Dices fortaſſe, eò rem deueniſſe vt tu ſolus omnibus quantum ſatis eſt, largiri non poſſis. At neque ego hoc peto vt facias. Poſtulo autem, vt quod in te eſt præſtes, & quia opum amor & cupiditas hactenus Dei & legis ipſius immemorẽ fecit, volo vt omnibus diuenditis quæ habes, pecuniam inde collectam in pauperes diſtribuas, & mox ſublata cruce, quæ te manet, me ſequaris, teq́ ad omnem fortunam mecum ſubeundam paratum & obedientem exhibeas. Nec hoc tibi vel iniquum vel graue videatur. Habebis enim theſaurum in cœlo, qui omnem hanc iacturam tibi liberaliſſimè compenſabit, &c. Hic verborum Chriſti ſenſus eſt, quibus non aliud quàm ſuijpſius abnegationem & fidei obedientiam iuueni confidenti præcipit, & vult vt ad iſta ſe & mores ſuos examinans intelligat, quàm procul abſit adhuc à vera obedientia, quam ſe perfectè præſtitiſſe putabat. Interim admonemur obiter, charitatis officia præcipuè teſtari poſſe, quantũ in fide & religione profecerimus. Si enim Deum verè diligimus, ſi religioſe illum obſeruamus, pauperes certè, & quoſuis alios, qui noſtra ope indigẽt, nequaquam negligemus, cùm illos nobis Deus tãtopere commendet. Et cumprimis huius loci diuites meminiſſe decet, ne ſibijpſis ſtultè et pernicioſe blandiantur, ſeq́ omni officio defunctos putent, ſi nemini violenter noceant, & ſingulis quæ humano iure illis debentur, officia præſtent, cùm interim ſecure negligant pauperes & egenos, quos perinde vt ſeipſum à nobis diligi vult Chriſtus, et in illos conferre iubet, quæcũq in ipſum collaturi eſſemus, ſi in terris hiſce corporaliter (vt olim) verſaretur. Si enim ad hanc regulam ſeſe examinent, mox videbunt, quàm parum habeant, quo gloriari poſſint, & idem illis, quod huic noſtro in præſenti accidet.

Deut. 15.

Charitatis officia teſtantur quantum in fide profecerimus.

Matth. 25. 26.

Sequitur enim quòd mæſtus factus propter hunc ſermonem triſtis abierit. Et cauſæ loco adijcitur: Habebat enim bona multa. Ita confunduntur, qui ſuis viribus & operibus confidunt. Nam intra conſcientias ſuas conuicti vident ſibi neceſſariò præſtanda eſſe, quæ vires ipſorum longè ſuperant Non poſſunt ergo non contriſtari & affligi animis ſuis, quando ſe ſua illa fiducia adeò turpiter deluſos eſſe intelligunt. At bene habet ſi doleant & contriſtentur, & non potius in conuitia erumpunt, quod impij & hypocritæ facere conſueuerunt: qui ne erraviſſe videantur, veritatis doctrinam & fidos monitores hoſtiliter oppugnant. Errat tamen noſter hic, quòd à Chriſto diſcedit, quem potius amplecti debuiſſet, & ex illo diſcere, vbi iuſtitiam & ſalutem quærere debeant, qui hanc in ſemetipſis inuenire non poſſunt. Nec enim aliam ob cauſam Lex noſtram corruptionem arguit, quàm vt nos Chriſto adducat, qui nobis iuſtitia & ſatisfactio & ſanctificatio à Deo patre eſt factus, &c. Interim docemur hoc exemplo, quantum remoræ ad ſalutem tendentibus afferat auaritia & opum immodicus amor. Erat hic à pueris inſtitutus in lege, & ſalutis æternæ ſtudio non ficto flagrabat, nec dubitauerim, illum maxima quæq factурum fuiſſe, ſi quid aliud Chriſtus præcepiſſet. At vbi opes in vniuerſum omnes diſtrahere iubetur, animum deſpondet, & qui iuuenilis ætatis affectus frenare potuit hucuſque, ne vel libidine, vel odio peccaret, aut grauius aliquod ſcelus deſignaret, auaritia & opum cupiditate flagrantem animum compeſcere nequit. Nec mouet illum cœleſtium theſaurorum promiſſio, vt ſaltem horum conſyderatione excitatus, terrenas & fluxas opes diſcat contemnere. Imò qui Chriſtum ſuum magiſtrum, & quidem bonum magiſtrum dixerat, nunc auaritiæ potius dictatis, quàm illius præceptis obtemperat. Adeò efficax eſt opum ſplendor, quæ vt ſuo fulgore oculos perſtringunt: ita animos quoque vinculis pluſquàm adamantinis conſtringunt, nec ad cœleſtia bona eos aſpirare patiuntur, quos in ſuum ſeruitium ſemel pertraxerunt: vt non temerè olim Euſebius

Iuuenis mœſtus à Chriſto diſcedit.

1. Corinth. 1.

Diuitiæ magnũ ſalutis impedimentum.

ſcripſerit, ἄφθονος πλοῦτος ἐμπόδιον πρὸς καλῶς φρονεῖν ὑπάρχει, id eſt, diuitiæ multæ ad rectè ſapiendum remora ſunt. Sed quia de hoc ipſe Chriſtus in ſequentibus diſſeret, hæc nunc paucis annotauiſſe ſufficiat. Noſtrum fuerit, vt agnita noſtra infirmitate ſolius Dei gratiæ innitamur per fidem veram in Ieſum Chriſtum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA LXXXV.

Et cùm circunſpexiſſet Ieſus, dicit diſcipulis ſuis: Quàm difficilè, qui opes habent, in regnum Dei introibūt. Diſcipuli uerò expauerunt ad hos ſermones ipſius. Ieſus autem rurſum reſpondens, dicit eis: Filij, quàm difficile eſt eos, qui confidunt opibus in regnum Dei ingredi. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Illi uerò amplius percellebātur, dicentes apud ſeſe: Et quis poteſt ſaluari? Intuitus autē eos Ieſus, dicit: Apud homines hoc eſt impoſsibile, ſed non apud Deum: nam omnia poſsibilia ſunt apud Deum.

*Argumentum & uſus præſentis loci.*

QVia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt nos ſaluaret, in mundum venit, non obiter modò tradit ſalutis myſteria, verumetiam omnibus ijs ſtudioſe medetur, quæ nos impedire ac remorari poſſunt. Exemplum eius rei euidens habemus in præſenti tractatione. Venit ad Chriſtum iuuenis, ſolicitus quidem de vita æterna, ſed quem vitia duo remorabantur. Fiducia nimirum ſuiipſius & Auaritia ſiue nimius opum huius ſeculi amor. Vtrique ergo Chriſtus occurrit. Primò enim ad legis ſpeculum ablegat confidentē, vt in illo ſeipſum contemplatus de ſuis viribus modeſtius ſentire diſcat, & ſuperbā operum ſuorū fiduciam deponat. Deinde de opum legitimo vſu admonet, qui in beneficentiæ ſtudio & animi tranquillitate potiſſimùm conſiſtit: vt nimirum opibus corda noſtra non applicemus, ſed illis quoad Deo ita libuerit cum gratiarum actione vtamur, aliorū item inopiā ſubleuemus, eaſdē verò non ægrè nec inuiti relinquamus, ſi quid tale de nobis Deus ſtatuat. Porrò, vt quod hîc dicitur, omnes diuites ſibi quoq; dictum eſſe ſcirent, modò generalem de diuitijs & diuitum cōditione diſputationem ſubijcit, quæ vt hos probè inſtituit, ita conſolationem quoq; certiſſimā affert omnibus ijs, qui inter huius ſeculi opes in Chriſtum reſpicere, & ab vnius Dei gratia pendere ſolent.

*Chriſtus diuites difficulter ſaluari ait.*

Principiò occaſionem de his agendi iuuenis præbuit, qui cùm à Chriſto iuberetur omnia ſua pauperibus diſtribuere & cruce ſuſcepta gregi diſcipulorum ipſius ſeſe coniungere, triſtis admodum diſceſſit, eò quòd opes haberet ingentes, vel potius ab illis haberetur. Nec dubium eſt, exemplum huius multis admirationem peperiſſe, quando repentè toto animo conſternatū viderunt, qui paulò ante zelo & alacritate admirabili feruere, & nihil quàm cœleſtia quærere videbatur. Omnibus ergò in hanc cogitationem intentis, Chriſtus non tam admirabundus, quàm dolens ob ingenij humani corruptionem, oculos circunferens diſcipulis ait: Quàm difficilè, qui opes habent, in regnum Dei introibunt? Illis verò expauefactis, expoſitionis loco mox ſubijcit: Filij, quàm difficile eſt eos, qui confidunt opibus in regnum Dei ingredi. Et quod dicit, comparatione amplificat, dicens: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Omnium verò iſtorum hic ſenſus eſt, vt oſtendat, diuites ægrè admodum Euangelij vocationem ſequi, quod nos regni Dei ciues & conſortes facit. Eſt hæc dura adeoq; intolerabilis ſententia, ſi illam ad carnis rationem examines, quæ in opum abundantia non poſtremam humanæ felicitatis partem collocat, & iniquiſſimum eſſe cenſet, eos à Dei conſortio excludere, qui inter homines ſupremum dignitatis gradum obtinent. At cogitemus iſta à Chriſto dici, qui cùm Veritas ſit ipſa, mentiri non poteſt: & cùm idem

*Hebr. 2.*

nos vnicè amet, & infirmitatibus noſtris condoleat, minimè putandum eſt, quòd inanibus minis aut terriculamentis ſuperuacaneis terrere voluerit. Nam diſcipulis hæc dicit, quos ex toto hominum genere ſelectos amicorum loco habuit, vt per illum edocti, totius orbis doctores eſſent. Perpetuam ergò

*Ioan. 15.*

& omnibus ſeculis cognitu & obſeruatu neceſſariam doctrinā tradit, de cuius veritate vel leuiſſimè dubitare nefas eſt.

Cæterùm

*Cæterum ne (quod multi ſolent) hinc occaſionem captemus temerè quoſuis damnandi, aut etiam de propria ſalute deſperandi, de quibus iſta loquatur, probè inſpicere conuenit. Nam ſi diuitias in ſemetipſis cõſyderes, illas ex Dei benedictione donari, & gratiæ Dei ſingularis ſigna eſſe patebit. Conſtant enim maxima ex parte terræ prouentibus, auro item & argento, quæ omnia à Deo creantur, & ad rei domeſticæ adminiſtrationem pertinent, quam ab vnius Dei prouidentia pendere ſcriptura teſtatur. Nec deſunt exempla ſanctiſsimorum hominum, quos ingentibus diuitijs diuinitus auctos fuiſſe legimus. De Abrahamo certè dicit ſeruus ille fidelis: Locupletauit Dominus herum meum inſigniter, deditq; illi greges & armenta, argentum & aurum, ſeruos & ancillas, camelos & aſinos, &c. Idem de Iobo & infinitis alijs legitur. Et Solomoni ipſe Deus opes & gloriam pollicetur. In nouo autem teſtamento Centuriones habemus, Zachæos, Lazarum Bethanienſem, & imprimis Ioſephum ab Arimathæa, cuius in aſſerenda Chriſti gloria maius ſtudium eluxit, quàm eorum, qui omnibus relictis ipſius aperti diſcipuli prius fuerant. Non ergo ſimpliciter ipſas diuitias & omnes diuites Chriſtus damnat, ſed hominum corruptionem & malos mores arguit, qui ea ſibijpſis in exitium vertunt, quæ Deus largitur, vt nobis ad virtutem & pietatem adiumento ſint. Innuit hoc ipſe, quando quod in genere dixiſſe videbatur, mox ad eos reſtringit, qui diuitijs confidunt. Qui enim tales ſunt, eos ſaluari impoßibile eſt, quoad tales manſerint. Primò etenim idololatras à Dei regno excluſos eſſe, omnis ſcriptura teſtatur. At idololatras vocat Paulus auaros omnes, qui ſpem & fiduciã ſuam in opibus collocatam habent, quæ in vno Deo ſita eſſe debebat. Imò eò grauior illorũ culpa eſt, quòd cùm Dei nomen & cultum profiteantur, opes tamen Deo longè præferunt, ſi quando de illis ob fidei & religionis profeßionem periclitantur. Iidem opes per fas & nefas acquirunt & augent, dum vel alios defraudant & aliena rapiunt, vel charitatis officia negligunt, & alijs eſurientibus ipſi aut ſecuri belluantur, aut opum aceruis incubant inſatiabiles. Vt non temerè olim dictitatum ſit, omnem diuitem aut iniquum eſſe, aut iniqui hæredem. In vſum verò opum apud eiuſmodi homines incidunt faſtus, libido, intemperantia, luxus & omnis generis laſciuia. Concurrunt lites, rixæ & diſsidia, quæ omnia à Dei regno alienos faciunt. Quòd ſi verò periculum immineat, & ijs opes auferantur, qui illis confidunt, mox murmura aduerſus Deum, conuitia in homines, & multa alia audies, quæ de illorum impatientia & deſperatione non obſcurè teſtantur. In mortis autem articulo, quando ad cæleſtis regni iter maximè expeditos eſſe oportebat, ibi tum amicæ opes animo obuerſantur, & partim ſui deſyderio ineſcant, partim circumuentos illorum artibus fratres, ſpoliatas viduas, oppreſſos orphanos, neglectos pauperum clamores, faſtum item & luxum intemperantẽ, & infinita alia ſcelera in mentem reuocant, ſicq; amaram reddunt mortis memoriam, quæ in Deo ſperantibus inter aduerſa præſens ſolatium afferre ſolet. Taceo nunc artes illicitas, labores, curas, ſolicitudines, pericula, & quæcunque alia ſunt eius generis, quibus auari exercentur & diſtrahuntur, vt de æternis & cæleſtibus bonis ne cogitare quidẽ poßint, nedum illis acquirendis ſe totos impendere. Veriſsimè ergo iſta in præſenti Chriſtus pronunciat, quibus ſimul peruerſum carnis iudicium arguit, quo pleriq; decepti, opibus ſolis inhiant, paupertatem verò ceu ſummum & extremum malorum omnium horrent: cùm reipſa experiamur, hanc ad præſentis vitæ commoditatem plus conferre quàm opes, & ad cæleſtis patriæ hæreditatem expeditiores reddere. Adhæc offendiculo medetur, quod multi patiuntur, dum Euangelij prædicationem ſolis ferè pauperibus placere, diuitibus autem plerunq; exoſam & inuiſam eſſe vident. Si enim diligentius expendamus quot vndiq; obſtacula opes nobis obijciant, & quàm difficile ſit, illis non animum adijcere quando nobis ridenti ſpecie affluunt, minimè mirabimur opulentos alieniori erga Euangelium animo eſſe, ſed potius Dei bonitatem exoſculabimur, qui aliquos illorum ex Labyrinthis hiſce educit, ſuoq; ſpiritu ita regit, vt & opibus ſuis rectè vti, & vitæ cæleſtis ſpem atq; ſtudium retinere poßint.*

Diuitiarũ ratio & de quibus diuitibus hic agatur.
Leuit. 26.
Deut. 28.
Pſal. 127.
Gene. 24.
1. Reg. 3.
Luc. 7. 19.
Ioan. 11.
Matt. 17.
Diuitũ cõfidentium peccata.
1. Corinth. 5. 6.
Apoc. 21.
Epheſ. 5.
Coloſ. 3.
Eccli 41.
Mundi peruerſum iudicium de opibus & paupertate.

*Interim horum diuites aßiduè meminiſſe decet, vt dum in opum abundantia Dei benedictionem ſentiunt, ſimul cogitent quantum inde periculum ad eos redire poßit, niſi carnis cupiditates & confidentiam, quæ diuitias plerunq; comitatur, aßiduo pietatis ſtudio reſtinguãt. Admonet de hoc Dauid quando ait: Ne collocetis ſpem in iniuria & rapina, nolite vos dedere vanitati: opes ſi affluunt, ne cor apponatis. Chriſtus item grauiter admodum clamat: Videte & cauete ab auaritia: & ne theſaurizetis in terra, vbi tinea & erugo corrumpit, & vbi fures perfodiunt & furantur. Sed recondite vo*

Diuitũ officia.
Pſal. 62.
Lucæ 12.
Matth. 6.

1.Timoth.6. bis theſauros in cœlis,&c. Et Paulus ad Timotheum ſuum ſcribens dicit: Iis qui diuites ſunt in hoc
ſeculo, denuncia, nè animo efferantur, neque ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in Deo viuo, qui præ
bet nobis copioſe ad fruendum: vt benefaciant, vt diuites ſint operibus bonis, faciles ad impartien-
dum, & facilis conuictus, recondentes ſibijpſis fundamentum bonum in poſterum, vt apprehendant
æternam vitam, &c.

Opum huius ſeculi conditio. Hæc vt faciamus, ipſa opum conditio monet. Quid enim his incertius minusq́; ſtabile? Repentè
ſuum poſſeſſorem deſerunt, & mille ſunt pericula, quæ illas eripere ſolent. Vſus verò illarum præ-
1.Timoth. 6. ſenti tantummodo ſeculo ſeruit, & ſicuti nihil in mundum intulimus, ita nihil efferre dabitur, nec
quicquam ex ſuis diuitijs ad opulentiſſimos quoſque redit, quàm quòd ex illis alimenta habent, &
tegumenta, in quibus natura noſtra paucis contenta eſt, imò ex mediocritate & temperantia ſtu-
dio plus quàm ex abundantia & ſuperfluitate, vtilitatis capit. Quando autem per viam vniuerſæ
1.Reg.2. terræ (vt Dauid inquit) in patriam nobis abeundum eſt, adeò nihil iuuant diuitiæ, vt moriendi ne-
ceſſitas regibus opulentiſſimis non minus quàm mendicis pauperrimis incumbat. Nam vt poetæ di-
Horatius. xerunt, Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumq́; turres. Et vna è Deis mors
Aeſchylus apud Ariſtoph. nulla captat munera. Sed aſſidua meditatione digna eſt prophetæ ſententia, dicentis: Ex illis qui
nituntur opulentia ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur, Nemo fratrem ſuum re-
Pſal. 49. Matth.16. dimere poteſt, neque Deo pretium redemptionis eius perſoluere. Quid enim dabit homo, cuius permu-
tatione vel ſuam, vel alterius, animam redimat? Cum ergo nec perpetua ſit opum poſſeſſio, nec earun-
dem abundantia ad præſentis vitæ conuerſationem neceſſaria, mortem verò adeò arcere non poſſit,
vt illius memoriam quoque (ſicuti ſupra diximus) amaram reddat, & ad patriam cæleſtem tenden-
tibus plurimùm incommodet: deteſtabilis planè eſt illorum inſania, qui in illis fiduciam ſuam collo-
cant, & illarum deſyderio excæcati charitatis officia negligunt, & regni cœlorum theſauros potius
quàm illas amittere malunt, &c.

Diſcipuli doctrina de diuitijs conſternantur. Cæterùm Chriſti diſcipulos videamus, quos Marcus primùm expauiſſe, deinde apud ſeſe dixiſſe
ait: Et quis poteſt ſaluus fieri? Quorum exemplum diligentem conſyderationem meretur. Dicet
enim aliquis: Et quid illos expauescere, aut de ſalute dubitare oportuit, qui & opibus nunquam ab-
undarant, & iam ante ſua omnia reliquerant, vt Chriſto potiri poſſent? At non temerè illos pertur-
batos fuiſſe putabimus, ſi illos reculas quidem ſuas reliquiſſe cogitemus, regnum verò terrenum in
Chriſto ſomniaſſe, id quod abſq; opum deſyderio & fiducia fieri non potuit. Non minus ergo ſeipſos
quàm iuuenem hunc opulentum & huius ſimiles notari ſentiebant: adeoq́; iam demum videbant ſa-
Lib.2.cap. 47. lutis negotium multò plus requirere, quàm ipſi hactenus putarant. Ita locũ hunc D. Auguſtinus ex-
ponit, quando in quæſtionibus Euangeliorũ ſic ſcribit: Quid eſt quod ait: Facilius eſt camelum per
foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei? Diuitem hîc appellat cupidum rerum
temporalium, & de talibus ſuperbientem. His diuitibus contrarij ſunt pauperes ſpiritu, quorum eſt
regnum cœlorum. Nam eò manifeſtatur, omnes cupidos, etiamſi facultatibus huius mundi careant,
ad hoc genus diuitum, quod eſt reprehenſum, pertinere: quia poſtea dixerunt qui audiebant: Et quis
poterit ſaluus fieri? cùm incomparabiliter maior turba ſit pauperum: Videlicet intelligentes, in eo nu-
mero deputari etiam illos, qui quanquã talia non habeant, tamen habendi cupiditate rapiuntur, &c.
Dolet ergo Apoſtolis tã propria ipſorum conditio, quàm aliorum hominum perditio, quos maiori ex
Pauperum noſtri ſeculi uitia. parte opibus addictos eſſe, & in illis felicitatem omnem collocare videbant. Procul ergo ab illorum
ingenio & moribus abfuerunt, qui hodie diuitibus ſuã fortunam inuident, eoſdem inuidioſe damnat,
ſuam verò egeſtatem magnificè extollunt, quaſi illa per ſe ſalutem mereatur. Atqui cogitare debe-
bât, aliud eſſe diuitias habere, & diuitijs confidere, nec ſtatim ab opum cupiditate alienos eſſe, qui ſua
vel turpiter prodegerunt, vel inani ſuperſtitione perſuaſi reliquerunt. Solent enim plerunq; tales alie-
nis inhiare, quæ cauſa eſt, vt multa iniuſtè, multa ſuperſtitioſe & impiè deſignent. Adhac obſer-
uabis, quòd vt diuitiæ per ſe ex Dei benedictione obtingunt, & proinde neminem damnant, ſi rectè
adminiſtrentur: ita paupertas nullum per ſe habet ſalutis æternæ meritum, præter illam, quã
2.Corinth.8. Chriſtus ſuſcepit, vt nos regni ſui theſauris ditaret: nec leuius peccatum eſt paupertati confidere,
quàm in diuitijs ſpem & fiduciam collocare. Imò vt diuites luxu & inhumanitate peccant, ita ple-
runq; pauperes inuidia, odio, impatientia & murmuratione aduerſus Deum peccare conſueuerunt.

Quan

*Quare diuites quidem in eorum meditatione verſari conuenit, quæ paulò ante diximus, pauperes ve-
rò Apoſtolorum exemplum imitati, ſuam ipſorum cupiditatem agnoſcant, & communem humani
generis corruptionem deplorent, quæ tam diuitibus quàm egenis ſalutis rationem planè arduam &
& difficilem reddit: vtrinq; verò pietati & precibus ſtudeant, quæ ſolæ in iſta difficultate conſtitutis
ſuccurrere poſſunt.*

*Huc facit amica & plena conſolationis Chriſti reſponſio, qui diſcipulos intuitus, ait: Apud homi-* Conſolatio ad-
*nes hoc eſt impoßibile, ſed non apud Deum: nam omnia poßibilia ſunt apud Deum. Reſponſionis* uerſus periculo-
*huius partes ſunt duæ. Prima, homines ſuis viribus ſaluari poſſe, diſertè negat. In genere enim inter-* ſam diuitũ con-
*rogarant diſcipuli, Et quis poteſt ſaluus fieri? In genere ergo reſpondet Chriſtus, apud homines hoc* ditionem.
*impoßibile eſſe. Ea enim eſt omnium hominum conditio, vt terrenis magis quàm cœleſtibus intenti,*
*hæc amplecti nec velint nec poßint, niſi cœlitus regenerētur, ſicuti Chriſtus Nicodemo dixit. At quia* Ioan. 3.
*ſemetipſum nemo regenerare poteſt, nemo etiam ex ſemetipſo ſaluari poterit. Vbi probè obſeruabis*
*Chriſtum hoc nomine conſternatos diſcipulos, non ad inanem ſuarum virium aut liberi arbitrij fidu-*
*ciam ablegare, ſed ſimpliciter illis aſſentiri, adeoq; teſtari, quòd hominem ex ſemetipſo ſaluari, impoſ-*
*ſibile ſit. Corruit igitur hoc loco vniuerſa Papæ officina, & ruinoſa illa laceraq; arbitrij & noſtro-*
*rum operum meritiq; ſupellex, quæ magna ex parte pecunijs redimitur, quibus omnem in ſalutis ne-* Matthæi 16.
*gotio laudem Chriſtus negat. Altera verò parte conſolationē ſubijcit, cùm ait: Sed non apud Deum,*
*&c. Quaſi diceret: Quoad homines, rectè colligitis. Sed nō ideò impoßibile eſt, homines ſaluari. Deus*
*enim quia omnia poteſt, illos regenerat, & ipſe ea in illis operatur, quæ alioqui ipſis præſtitu im-*
*poßibilia ſunt: vt nimirum opibus rectè vtantur, fiduciam omnem in ſe vno collocatam habeant, be-*
*nefici ſint, & theſaurum ſibijpſis in cœlo recondant. Et quod in præſenti pollicetur, id ipſum in Abra-*
*hamo, Dauide & poſtea in Apoſtolis præſtitum videmus. Huc enim illud Pauli facit, qui ait: Di-* Philip. 4.
*dici in quibus ſum, his contentus eſſe. Noui & humilis eſſe, noui & excellere. Vbique & in omnibus*
*inſtitutus ſum, & ſaturari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum per Chriſtum,*
*qui me corroborat. Idem Hebræos fratres hoc nomine laudat, quòd facultatum ſuarum direptio-* Hebr. 10.
*nem cum gaudio acceperint. Nec hodie deſunt, qui dum licet fortunis ſuis piè & benè vtuntur,*
*& illis ipſis poſtea exilium ſpontaneum, vincula, ignominiam omnis generis, ipſam denique mor-*
*tem præferunt, ſi fidem in Chriſtum aliter retinere non datur. Vides ergo nec ob noſtrarum virium*
*imbecillitatem nos ſpem ſalutis abijcere, nec nos opulentiores temere condemnare debere, quādo tam*
*facile eſt Deo nos regenerare, quàm illi olim fuit vniuerſam mundi huius machinam ex nihilo pro-*
*ducere. Nemo tamen hinc occaſionem arripiat, vt quæuis ſuæ rationis figmenta per Dei omnipoten-* Omnipotentiæ
*tiam probet. Nec enim omnia quæ poteſt facit Deus, ſed quæcunq; ſuo conſilio fieri decreuit. Quare* diuinæ ratio.
*in verbum ipſius nos reſpicere conuenit, & ex hoc illius voluntatem diſcere, nec de illius effectu du-* Pſal. 115.
*bitare, quando illi nihil eſt impoßibile. Qui enim in vniuerſo ordine nudam omnipotentiam iactitant,*
*ſemetipſos turpißimè fallunt, & abſurdißimorum dogmatum ſiue opinionum authores ſunt. Cæte-*
*rum quod præcipuum huius loci caput eſt memori mente recondamus, vt noſtræ conditionis memo-*
*res, huius ſeculi bonis ita vtamur, ne iiſdem abutamur, theſauros verò in cœlis habeamus recondi-* 1. Corinth. 7.
*tos, quos ſui ſanguinis pretio nobis acquiſiuit Chriſtus Ieſus Dominus noſter: cui debetur benedictio,*
*honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA LXXXVI.

Tunc cœpit Petrus dicere ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Reſpondens autem Ieſus, ait: Amen dico uobis, nullus eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorē, aut liberos, aut agros, mea cauſa & Euangelij: quin recipiat centuplicia nunc in hoc tempore, domus, & fratres, & ſorores, & matres, & liberos, & agros, cum perſecutionibus, & in ſeculo uenturo uitam æternam. Multi autem primi erunt ultimi, & ultimi primi.

**Argumentum & uſus præſentis loci.**

ETſi plerìq; homines ſibi bene eſſe velint & æternæ ſalutis ſtudio teneantur, multa tamen ſunt, quæ illos in vera huius conſequendæ ratione impediunt. Inter quæ primus ferè locus diuitijs debetur. Quia enim has ingenita cupiditate omnes appetunt, eas aut per media illicita quærunt, aut acquiſitis peſſimè abutuntur, aut ita illis addicti ſunt, vt & Chriſtianæ charitatis officia negligant, & fidem turpiter abnegent, ſi quando illas amittendi periculum inſtat. Frequenter ergo de illarundem vſu admoneat. Et nuper quidem magnatis cuiuſdam exemplo docuit, quantum immoderata harum cupiditas ad ſalutem tendentes remoretur: nec exempla deſunt, quibus patet, vt qui in reliquis omnibus ferè integri ſunt, ad hunc tamen ſcopulum impingere ſoleant. Quia autem opum ſuarum amiſſionem omnes metuunt, Chriſtus in præſenti nos ampliſſimis promiſſionibus excitat, ne cui graue aut iniquum videatur iacturam facere, cui ampliſſimam retributionem diuinitus iam præparatam eſſe audit.

**Petrus interrogat de præmio Apoſtolorum.**

Cæterùm tractationi huic occaſionem præbuit Petri Apoſtoli quæſtio. Somniabat ille (vt & reliqui) terrenum regnũ Chriſti, & in eo honores & dignitates maximas. Quare præter ſpem hoc illis accidit, quòd iuuenis iſte opes ſuas relinquere iubetur, & quòd diuites adeò difficulter in regnũ ſuum ingreſſuros eſſe, Chriſtus dixit. Quærit ergo quid de ipſis futurum, & quod nam ſui ſtudij præmium habituri ſint, qui omnibus ſuis relictis, ipſum hucuſque ſecuti ſint? Vbi rurſum carnis noſtræ ingenium elucet, quæ dum regni Dei ſtudio teneri videtur, terrena tamen potius quàm cæleſtia quærit.

**Acto. 5. & 8. Epiſtola 89. ad Hilarium.**

Eſt hoc vetus & commune malum, cuius exempla in Simone Mago & Anania atq; Sapphira vidit primitiua eccleſia. Et Auguſtinum de ijs conqueſtum legimus, qui ipſius tempore ad augendas opes ſuas & multiplicanda delectamenta terrena, religionem ſibi ſuffragari debere arbitrabantur. Quod vnum abundè docet, nos noſtris operibus nihil apud Deum mereri, cùm illis ſemper priuato potius commodo, quàm Dei gloriæ, ſtudeamus. Quomodo enim hæc Deo placere poſſent, quãdo ne hominibus quidem eiuſmodi officia probantur, quæ priuati quæſtus aut commodi ſtudium ſuſpecta facit? Quoad tamen Apoſtolos, laudem merentur, quòd nunc demũ de præmio quærunt, cùm hactenus ſpe bona contenti fuerint. Ita ſolent ij, in quibus veræ fidei ſemina extant: vt nimirum de ſuo potius officio, quàm præmio, ſoliciti ſint. Hoc enim ſibi à Deo obuenturum minimè ambigunt; illud verò abs ſe facilè negligi poſſe vident, cùm ſuæ naturæ infirmitatem & corruptionem probè cognitam & perſpectam habeant.

**Gene. 12. Actorum 9.**

Sic Abraham Deum vocantem ſequebatur, relicto ſolo patrio, nec vbi nam locorum ſedes fixas habiturus eſſet, interrogabat. Et Paulus cùm ſe cœlitus vocari audiret, non quid de ſe futurum eſſet, quærebat, ſed aiebat: Domine quid me vis facere? Arguuntur his noſtri ſeculi mores, quando plerìq; religionem, imò quamuis aliam quoq; vocationẽ, quæſtu metiuntur, & de præmio quærunt, priuſquam aut ſuæ vocationis officia, aut ſuas in his obeundis vires inſpexerint: nec unquam ſibi faciendum putant, niſi lucrum ſibi ob oculos poſitum videant.

**Quomodo Apoſtoli omnia ſua reliquerint.**

Cumprimis autem hic conſyderandum venit, quomodo Apoſtoli omnia ſua reliquerint. Horum enim exemplo hodie Monachi & Anabaptiſtæ abutuntur, dum illi quidem vitæ ſolitariæ ſeſe mancipant, & huius merito confidunt, hi verò temere relictis vxoribus, liberis & parentibus nouum vitæ genus ſuſcipiunt. At nihil iſti omnes cum Apoſtolis commune habent. Hi enim cùm iſta diceret Petrus, adhuc domus ſuas, nauiculas, retia, & quidam vxores quoq; ſuas habuerunt, & in ſua frequenter diuerterunt, ſicuti de Petro & Matthæo non ſemel legimus.

**Matth. 8. 9. 17. Ioan. 21.**

Et ijdem poſt Chriſti reſurrectionem ad piſcationem rediſſe leguntur. Reliquerunt ergo quoad animi ſui voluntatem, & quatenus vocatio ipſorum poſtulabat: adeò vt licet poſſeſſionis ius retinerent, fiduciam tamen in illa minimè collocarent, nec etiam per hæc ſe ab officio ſuo abſtrahi paterentur. Toto igitur cœlo errant, qui exemplo hoc vel Monachorum ſuperſtitiones & hypocriſim, vel Anabaptiſtarum furores ſtabiliri arbitrantur. Etſi enim poſtea omnibus in vniuerſum renuntiarint Apoſtoli, quando illos per totum orbem prædicare oportebat: minimè tamen inde cõmunis regula petenda eſt, ad quam reliqui etiam omnes obſtringantur, quos nulla ſingularis vocatio idem facere cogit.

**1. Corinth. 7. Epheſ. 5. 6. 1. Tim. 5.**

Paulus certè vnumquenque in ea conditione manere iubet, in qua vocatus ſit. Et idem parentibus, & coniugibus ſua erga ſuos officia præſcribit, adhæc infideli deteriorem eſſe dicit eum, qui ſuis non honeſtè proſpiciat. Omnium verò eſt, vt animos ſuos ab opum cupiditate auocent, & vbi ita neceſſitas vrget, vt vel illas amittere,



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

vel fidem in Chriſtum abnegare & ab hoc nobis commiſſam ſtationem relinquere oporteat: tunc non opes modò, verumetiam vitam deponere parati ſimus, nec quicquam Chriſto præferamus, in quo nobis theſauri æterni repoſiti ſunt. Rurſum, dum ſalua fide & huius confeſſione noſtra retinere datur, illis iuxta Pauli regulam piè vtamur, vt non abutamur. Ad hunc modum de opibus vel relinquendis vel vſurpandis Apoſtolos docuiſſe, ex primitiuæ eccleſiæ exemplo conſtat, in qua, voluntate quidem & beneficentiæ ſtudio pij omnia ſua communia habebant, ita tamen vt à poſſeſſione ſua nemo inuitus deturbaretur, ſicuti Petri verba ad Ananiam diſertè teſtantur. Sicuti enim charitatis lex egentium neceſſitati ſuccurrere iubet, ita eadem prohibet, ne aliena vel ipſi inuadamus, vel alios ſua nobis largiri cogamus. Imò intolerabile ſcandalum eſt, ſub religionis prætextu ex alieno viuere, cùm hic potius pijs ſcopus præfixus eſſe debeat, vt nemini graues vel moleſti ſint, quàm plurimos verò ſuis officijs ſubleuent.

1. Cor. 7.
Actor. 5.

Sed Chriſtum Petro ad hunc modum reſpondentem audiamus. Amen dico vobis, nullus eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, &c. mea cauſa & Euangelij: quin recipiat centuplicia nunc in hoc tempore cum perſecutionibus & in ſeculo futuro vitam æternam. Multi autem primi erunt vltimi, & vltimi erunt primi. In qua reſponſione tria potiſſimùm nobis veniunt conſyderanda: Primum, de quibus hic Chriſtus loquatur, & ad quos iſta promiſſio referri debeat. Secundum, quid iiſdem polliceatur. Tertium, vt confidentiam eorum reprimat, qui aliquò vſq; progreſſi ſibijpſis nimium tribuunt, & ea occaſione ſecuriores fiunt.

Reſponſio Chriſti.

De primo diſertè loquitur, dum eos nominat, qui ſua relinquunt ipſius & Euangelij cauſa: Apud Lucam ait, Propter regnum Dei: ad illud nimirum reſpiciens, quòd regnum Dei per Euangelium nobis offertur, et ideo interdũ regni Dei nomen accipit. In Matthæo autem, primam reſponſionis partem ad Apoſtolos reſtringens ait: Amen dico vobis, quòd vos qui me ſecuti eſtis, &c. Ad eos ergo iſta promiſſio pertinet, qui per Euangelij prædicationem in fide inſtituti, Chriſtum Ieſum ſibi imitandum propoſuerunt, ſuamq; vocationem cum rerum ſuarum iactura ſequuntur. Neq; hic refert cuiuſcunq; ſint loci aut ordinis, modò id faciant, quod modò diximus. Minimè ergo iſtis locus hic patrocinatur, qui vel prodigalitate & luxu ſua dilapidant, vel ſuperſtitione dementati voluntariam (vt loquuntur) paupertatẽ ſibijpſis aſciſcunt. Faciunt enim prius illud impij & malæ frugis homines, qui à Chriſto & regno Dei alieniſſimi ſunt. Alterum verò illud olim ex gentibus quidam præſtiterunt, nec in ea re inferiores noſtris hominibus ſunt Turcarum eremitæ, qui ſimul vitæ innocentia & morum integritate omnes Chriſtianorum Monachos longè exuperant. Non ergo ſufficit opes reliquiſſe, ſed vt Chriſtum ſequamur oportet, et illius vocationem expectemus: quam qui negligunt, ij ſub pietatis prætextu extremè impij fiunt.

1. Ad quos promiſſio Chriſti pertineat.
Luc. 18.
Matth. 19.

Secundò præmium talibus duplex promittitur, quorum alterum ad præſens, alterum ad futurum ſeculum pertinet. Ad vtriuſq; verò certitudinem facit ſolennis illa conteſtatio, quæ iuriſiurandi inſtar eſt, cùm ait: Amen dico vobis. Ad primam promiſſionis partem pertinet, quòd ijs qui domum, parentes, fratres, ſorores, vxorem, liberos, agros & quæcunq; ſunt eius generis, ipſius cauſa relinquunt, centuplicem retributionem in hoc tempore pollicetur, & quidem cum perſecutionibus. Ita verò docere vult, talibus adeò non metuendam eſſe aliquam iacturam, vt potius lucrum ingens ſperare debeant. Centuplex enim retributio pro multiplici ponitur: numerus finitus pro infinito. Ratio huius promiſſionis in eo eſt, quòd omnes Chriſtiani per fidem ita Chriſto inſeruntur, vt in hoc eiuſdem corporis ſimul membra, & eiuſdem patris filij, & proinde fratres atq; cohæredes ſint. Vnde tam arcto charitatis vinculo conſtringuntur, vt omnia ipſis communia ſint. Quotquot ergo fratres vterinos, parentes item naturales, liberos ex ſeſe progenitos, domus item & agros propter Chriſtum relinquunt, iidem totidem fratres inueniunt, quot paſſim in orbe veri Chriſtiani ſunt, à quibus ea officia ſibi præſtari ſentient, quæ vel fratres fratribus, vel parentes liberis, vel hi illis præſtare tenentur. Et ſic fit, vt qui vno tantum in loco prius domus & agros ſiue redditus habuerunt, nunc vbique gentium hoſpitia & quæcunq; ipſis ad victum neceſſaria ſunt, reperiant. Exempla in Apoſtolis extant, quibus viuente adhuc cum ipſis Chriſto nihil vnquã defuit, ſicuti in vltima cœna ipſi fatentur: poſtea verò in orbem digreſſi, paſſim repererunt pios fratres, quorum charitate et beneficentia ſubleuati ſunt. Et quod illis euenit, hoc ipſum hodie non pauci experiuntur, qui propter fidei confeſſionem

2. Præmium eorum qui ſua propter Chriſtum deſerunt.
Retributio in hoc ſeculo centuplex.
1. Cor. 12.
Epheſ. 4.
Rom. 8.
Luc. 22.

exulant. Quid? quòd inter hoſtes quoq; acerrimos Chriſtus ſuis proſpicere ſolet, ſicuti in Abrahami
Gen. 12.13.14. exemplo patet: qui cum Deum vocantem ſecutus patriam & cognatos ſuos reliquiſſet, inter Chana-
næos opibus ſimul & amicitijs ſiue fœderibus ampliſsimorum virorum præclarus fuit. Cum enim im-
piorum quoq; corda Deus in ſua manu habeat, facilè illa inclinare poteſt, vt ſuis benefaciant.

Promiſsiones huius ſeculi cruce condiuntur. At hic nos conditionis ſemper meminiſſe oportet, quam huic promiſsioni adijcit Chriſtus: Ni-
mirum quòd perſecutiones interea non ſunt defuturæ in ſe credentibus: Nec enim par eſt, vt alia ſit
diſcipulorum, quàm magiſtri conditio. Et quia mundus totus in malo conſtitutus eſt, ac ideo verita-
Ioan. 13.15. tis lucem ferre non poteſt, nunquàm non ijs moleſtus eſſe ſolet, penes quos illa lucet, & qui eandem
1. Ioan. 5. mundo inferre cupiunt. Patitur verò hoc Deus, non quòd mundi improbitatem aliter coërcere non
Ioan. 3. poſsit: ſed quia nos cruce exerceri prodeſt, qui alioqui in effrenem peccandi licentiam erumperemus,
1. Cor. 11. vel ſecuri & ſocordes ſalutis iacturam pateremur. Non eſt ergo quòd cum Iuliano apoſtata pro-
miſsionem hanc nobis per ludibrium obijciant noſtri aduerſarij: quando ipſe Chriſtus perſecutionum
tam apertè meminit, & tamen ſimul quotidie reipſa docet, quàm ſibi curæ ſint, quos propter ſui nomi-
nis confeſsionem infelix hic mundus perſequitur.

Vita æterna. Altera promiſsionis pars ad ſeculum futurum pertinet, in quo vitam æternam ſuis dare decreuit.
Conſtat autem in ſcripturis vitæ nomine ferè omnia ea comprehendi, quæ ad hominis felicitatem ſpe-
ctant: quæ tunc demum felicitas debet cenſeri, ſi æterna ſit, & nullis fortunæ caſibus obnoxia. Vo-
luit autem hanc partem adijcere, ne pij vel in terrenis huius ſeculi bonis acquieſcant, vel ſeſe dece-
ptos putent, ſi illa ipſis non pro votis ſuis obtingunt. Quæcunq; enim in hac vita ſuis Deus largitur,
ipſius duntaxat bonitatis erga nos teſtimonia ſunt, quæ promiſſæ felicitatis æternæ ſpem in nobis con-
firment, & quæ ex cruce ad nos redeunt, moleſtias ceu condimento aliquo dulciori mitigent. Patria
Philip. 3. verò & patrimonium noſtrum, cuius hæredes in Chriſto reddimur, in cœlis eſt, vbi (iuxta illius pro-
Ioan. 12.14.17. miſsionem) æternùm cum illo erimus. In huius conſyderatione quotquot diligentius paulò verſan-
tur, fortunarum ſuarum in hoc ſeculo iacturam pro lucro æſtimabunt, dummodò vitam æternam
poſsidere queant. Etſi enim opes ſuas non amittant propter Chriſti nomen, eaſdem tamen aliquando
vnà cum vita hac præſenti relinquere cogentur. Non ergo alia lucroſior illarum iactura fieri poterit,
quàm quæ Chriſti nomine fit, qui & præſentis vitæ neceſsitati ſuccurrere poteſt, & olim nos ſecum
in cœlis regnare faciet. Ampliſsima itaq; ſuis præmia pollicetur, quibus qui non mouetur, is certè ſe
Chriſtiano nomine planè indignum eſſe docet, & dum ſua retinere vult, vnà cum his cœleſtis regni
theſauros amittet.

3. Confidentiæ & ſecuritati medetur. Cæterum ne diſcipuli ſe iam omnia aſſecutos putarent, ſicq; ſuorum meritorum fiducia ſecuriores
fierent, grauem ſententiã hiſce Chriſtus ſubijcit, dicens: Multi autem primi erunt vltimi, & vltimi
primi: Quaſi diceret. Præſtitiſtis hucuſq; aliquid per Dei gratiam, quæ uos mouit, vt omnibus poſt-
habitis me ſequamini. At nondum vobis omne bellum confectum putetis. Eadem enim hic ratio eſt,
2. Tim. 2. quæ in reliquis certaminibus eſſe ſolet. Vt enim illic non coronatur, niſi qui legitimè certando victor
euaſerit, nec brauio donatur, niſi qui finem curſus fuerit aſſecutus: Ita cœleſtis regni brauia non niſi
Matth. 24. ijs debentur, qui in finem vſq; perſeuerauerint. Quicunq; verò, vbi manũ aratro admouerunt, à tergo
Luc. 9. reſpiciunt, indigni ſunt regno Dei. Imò frequenter fit, vt qui initio præ alijs emicuerunt, tandem om-
nium poſtremi fiant, dum carnem in conſilium adhibent, et illius impatientia ſuperantur, vel blandi-
tijs peccatorum turpiter cedunt. E contra qui ſerius accedunt, ferè reliquos perſeuerantiæ ſtudio &
zelo ſuperant, & primi fiunt. Poſſunt huc Iudæ & Pauli exempla referri. Ille enim cum inter pri-
mos eſſet, auaritiæ affectu excæcatus, proditor Chriſti factus eſt: Hic verò cùm eo tempore adhuc in-
ter phariſæos diliteſceret, & poſtea eccleſiæ perſecutorem ageret, ſubitò tamen conuerſus, admirabili
ſtudio & induſtria apoſtolos reliquos præuenit, vt plus omnibus alijs laboraret. Pertinent hæc ad
omnes homines, & in eum finem à nobis conſyderari debent, vt ad perſeuerantiæ ſtudium excitemur,
non deſperemus autẽ temere de ijs quos Chriſti cognitione nondum imbutos eſſe cernimus. Frequens
enim admodum eſt, vt qui per omnia aduerſa fortiter eluctati ſunt, tandem ſecuri et quodammodo
ignari rerum ad priſtinos mores relabantur. Nunquàm enim quieſcit ſatan, & quos ferocia ſua ſu-
perare nequit, blanditijs & falſa ſecuritatis perſuaſione ſeducit. Noſtræ ergo conditionis memores
1. Cor. 2. ſimus, & qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat. Rogemus autẽ Deum patrem, vt noſtræ naturæ

*tijs ſua gratia & ſpiritu medeatur, & in fide vera confirmatos vitæ æternæ conſortes reddat, per filium ſuum Ieſum Chriſtum, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA LXXXVII.

Erant autē in uia aſcendentes Hieroſolymā, & præibat eis Ieſus, & expaueſcebant, & ſequentes timebant: & aſſumptis rurſum duodecim, cœpit eis dicere quę ſibi erāt euentura. Ecce aſcendimus Hieroſolymā, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotū & Scribis, & cōdemnabunt eum morte, tradentq́ eum gentibus. Et illudent illi, & flagellabunt eum, & inſpuent in eum, & occident eum, & tertia die reſurget.

Argumentum & uſus præſentis loci.

*QVoniam Deo patri, iuxta æternum ſuæ prouidentiæ conſilium, placuit humanum genus per filij ſui mortem à peccatis & morte æterna redimere, omnis ſcriptura nihil frequētius, quàm huius mortem paßim inculcat: quin ipſe Dei filius Ieſus Chriſtus, de hac cum diſcipulis ſuis ſubinde egit, hanc vnam ob cauſam nimirū, vt nobis certa noſtræ ſalutis ratio conſtaret. Facit huc etiā præſens locus, in quo alijs quoq́ grauibus de cauſis illa ipſa repetit, quæ ſupra Cap. 8. & 9. de ſua morte & reſurrectione dixerat: partim quidem vt diſcipulorum timori & crucis offendiculo medeatur: partim verò vt eorundem confidentiæ occurrat, quæ ex anteactis poterat enaſci. Nam relictis omnibus ſuis rebus Chriſtum hactenus ſecuti fuerant, & ita præſtiterant, quod à iuuene illo opulento fuerat requiſitum. Quo nomine à Chriſto non parum commendati fuerunt, & promißionem amplißimam acceperunt, ſicuti nuper vidimus. Ne ergo propriæ iuſtitiæ fiducia inſoleſcerent, denuò illos de ſalutis ratione admonet, & illam in breue compendium contrahit, vt ſuum hoc opus eſſe et hanc gloriam omnem ad ſe pertinere intelligant, &c. Sed ſingula ex ordine videamus.*

Diſcipuli metuunt Hieroſolymā aſcendere
Ioan. 11.
Sanctorum infirmitas.
Ioan. 15.
Actorum 1.
Ioan. 6.
Matth. 16.

*Principiò, qua occaſione hæc dicta ſint, indicatur. Aſcendebat Chriſtus cum ſuis Hieroſolymā. Diſcipuli verò expauefacti timent, nimirum quod illic hoſtes Chriſti accerrimos regnare ſcirent, quorum inſidias & crudeles conatus iam ſæpius erant experti. Patet hoc ex Ioanne, qui in Iudæam profecturo diſcipulos dixiſſe ſcribit: Rabbi, modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Elucet autem in his carnis noſtræ infirmitas, quæ in ſanctis quoque & electis non rarò ſeſe exerit. Hoſce enim ex vniuerſo mortalium genere Chriſtus elegerat, vt ſuæ diuinæ virtutis, mortis item & reſurrectionis ſuæ teſtes eſſent. Miracula hucuſq́ multa & ſtupenda viderant, Iſdem in Chriſto omnia haberi ſciebant quæcunque ad ſalutem faciunt, ſicuti ipſorum de illo confeßiones abunde docent. Et paulò ante promißione amplißima illos Chriſtus confirmarat; quòd nec in præſenti ſeculo quicquam ipſis ſit defuturum, quodq́ regni cœleſtis hæreditas ipſis à Deo ſit deſtinata. Adhuc tamen crucem horrent & metuunt, & quidem Chriſto præſente, imò illis præeunte. Exempla huius generis multa paßim occurrunt. Abraham, qui Deo vocante patrium ſolum fortiter reliquerat, poſtea ignobili timore ſuperatus, vxoris pudicitiam in periculum adduxit. Iacobus cum in Meſopotamia Dei fidem innumeris argumentis eſſet expertus, poſtea tamen Eſaum fratrem ita timuit, vt illum per angelos confirmari oporteret. Moſem non ſemel timuiſſe, ex illius hiſtoria patet. Quod ipſum Ioſuæ, fortißimo heroi, & Dauidi poſt Goliam deuictum accidiſſe legimus. Elias poſt occiſos Baalis ſacerdotes Ieſabelis minis adeò terretur, vt profugus mori cupiat. Et Paulus ſe apud Corinthios cum multo timore & tremore verſatum eſſe ſcribit. Proponuntur hæc nobis in eum finem, vt agnita noſtra infirmitate minus inſoleſcamus, nec etiam temere damnemus eos, qui cùm multa bene pieq́ fecerint, aliquādo timidiores fiunt. Præterea ne animo concidamus, ſi quid tale in nobis ipſis experimur. Interim timori & infirmitati non eſt indulgendum, ſed diſcipulos hoſce imitemur, qui etſi timeant, nihilominus tamen Chriſtum ſequuntur, & per fidei obedientiam timorem omnem, adeoq́ ſeipſos, vincunt. Docet idem Chriſtus ſuo exemplo, qui cùm ad montem oliuarum aliquandiu fuiſſet conſternatus, tandem per angelum confirmatus, hoſtibus ſuis obuiam procedit, nec vſpiam ſuo officio deeſt. Admittamus ergo & nos verbi Dei conſolationes, & illis animati fortiter vincamus quæcunque nobis pericula mundus hic obijcit.*

Geneſ. 12. 20.
Geneſ. 23.
Ioſ. 7.
1. Reg. 18. 19.
1. Corinth. 2.
Luc. 22.
Ioan. 18.

Chriſtus diſcipulos conſolatur. Luc.18. Sed Chriſtum audiamus, cuius oratio ex Luca compleri debet, & duabus partibus conſtat. Pri-
ma ſcripturis iam olim prædicta eſſe docet, quæcunq; ipſi ſint euentura, ne ſcilicet hæc fortuita eſſe,
aut ipſum ab hoſtibus ſuperatum putarent. Ecce aſcendimus (inquit) Hieroſolymam, & conſumma-
buntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Sciebat ergo Chriſtus quid ſibi eſſet
euenturum, nec tamen effugia quærit, ſed ſpontè Hieroſolymam contendit, vbi ipſum pati oportebat.
Vnde verò iſta animi fortitudo? Nimirum ex eo, quòd ita à Deo patre decretum eſſe ſciret, vt ſuæ
mortis merito humanum genus redimeretur. Hoc enim innuit, quando ſcripturas propheticas alle-
gat, & hoc ipſo argumento diſcipulos aduerſus crucis ſcandalum confirmat, quo ſemetipſum conſola-
Ex Dei prouidentia petendæ conſolationes. batur. Transferamus ergo ad nos præſens exemplum, & diſcamus, vnde conſolationis argumenta
peti debeant in afflictionibus. Eandem enim eſſe fidelium Chriſti ſortẽ, quæ ipſius Chriſti olim in ter-
ris fuit, ipſa experientia docet. At hic cogitandum eſt, nihil nobis fortuitum accidere, ſed diuina
Matth.10. prouidentia afflictiones noſtras gubernari. Nec enim fieri poteſt, vt electos ſuos ſe inſcio affligi pa-
tiatur, abſque cuius voluntate ne paſſerculi quidem intereunt. Et de noſtris afflictionibus paſſim in
Pſalm.34. ſcripturis teſtimonia extant. Multæ ſunt (inquit) tribulationes iuſtorum. Chriſtus item: In mundo
Ioan.16. afflictionem habebitis, & veniet tempus, vt quicunq; occiderit vos, putet ſe Deo cultum præſtare. Si
Matth.16. quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et Paulus olim
Actor.14. eccleſias confirmans dicebat, quòd per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei. Item,
2.Tim.3. Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Si quid ergo aduerſi inciderit, id no-
bis inſolens videri non debet: quin potius Chriſti exemplo nos ad patientiam & fidei obedientiam præ-
1.Pet.2. paremus. Præiuit enim ille, & (vt Petrus ait) exemplũ præbuit, cuius veſtigia ipſi ſequamur. Nec
Ioan.14. id modò, verumetiam nobis in cœlis locum parauit, vbi cum ipſo æternæ gloriæ et felicitatis conſortes
Luc.22. erunt, quotquot cum illo in tentationibus perſeuerarint. Hæc ergo ſinguli ſibijpſis applicent, & mi-
rificas in animis ſuis conſolationes experientur.

Chriſtus noſtræ redemptionis myſteriũ morte & reſurrectione cõplectitur. Altera parte, quam ſolam Marcus recenſuit, diligenter exponit Chriſtus, quid ipſum Hieroſo-
lymis iuxta ſcripturas pati oporteat, dicens: Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcri-
bis, et condemnabunt eum morte, tradentq; eum gentibus. Et illudent illi, et flagellabunt eum, et con-
ſpuent in eum, & occident eum, & tertia die reſurget. Faciunt hæc quoq; ad confirmandam diſcipu-
lorum fidem. Habent enim euidens diuinitatis Chriſti argumentum, cùm illum adeò nihil latuerit
eorum, quæ paſſurus erat. Attamen hic cumprimis conſideranda venit noſtræ ſalutis ſiue redemptio-
nis ratio, quam his ſummatim comprehendit: Quia enim prophetarum vel ſcripturæ ſacræ memi-
nit, ſatis patet, hæc eò referri debere, quando ſcriptura non in alium finem nobis data eſt, quàm vt
Ioan.5. ex ea vitæ æternæ myſteria diſcamus. Videamus ergo quid de ſe dicat Chriſtus, quidue illum pro-
pter nos pati & facere oportuerit. Exponit quidem hæc multis, ſed duobus capitibus res tota com-
prehendi poteſt: Morte nimirum & Reſurrectione. Ad mortem eius pertinet quòd à Iuda prodi-
tus, quòd captus à miniſtris pontificijs in ſacerdotum, hoſtium acerrimorum, manus peruenit,
quòd ab illis in Concilio condemnatus, quòd ab his illuſus, flagellatus, conſputus, & tandem in
crucem ſuffixus eſt. Oportuit enim mortem eius ignominioſiſsimam ſimul & acerbiſsimam eſſe, vt
per hanc primi parentis omniumq; noſtrum ſuperbia expiaretur, qua factum fuerat, vt excuſſo Dei
iugo peccati mancipia efficeremur. At non ſufficiebat mori, niſi etiam à morte reſurgeret, ſicq; mor-
tis imperium aboleret, quæ propter peccatum nobis dominabatur. In duobus ergo iſtis vniuerſa no-
ſtræ ſalutis ratio conſiſtit, & ideò hæc paſsim coniungit Chriſtus, & eadem Apoſtoli in omnibus ſuis
1.Cor.15. ſcriptis & concionibus ſedulò inculcant. Facit enim huc quod Paulus ait, ſe Chriſtum prædicaſſe,
qui mortuus fuerit pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, quiq; ſepultus tertio die reſurrexerit
Rom.4. ſecundum ſcripturas. Item, quòd alibi illum dicit mortuum eſſe propter peccata noſtra, reſurre-
Rom.10. xiſſe autem propter iuſtificationem noſtri. Et rurſum: Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus,
nempe ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum exci-
In uno Chriſto nobis acquieſcendum. tauit à mortuis, ſaluus eris. In his ergo nobis acquieſcendum erit, quæ ſimul totius ſcripturæ veteris
authoritate confirmantur. Nam ſi libros huius omnes euoluas, vnum Chriſtum humanæ ſalutis
Gen.3. authorem nobis monſtrari reperies. Hunc Adamo Deus promiſit, quando ſerpentis caput per ſemen
Gen.22.26.28. mulieris conculcandum fore dixit. De eodem promiſsiones patriarchis datæ intelligi debent. Eun-
dem

*dem typi legales adumbrant, vtpote ſerpens æneus, manna, petra in deſerto, agnus paſchalis totuſq; cultus Leuiticus, ſicuti ipſe Chriſtus & Apoſtoli teſtantur. Huius item paßionem et quæ hanc ſecuta eſt gloriam prophetæ ſcrutati ſunt. Illo autem iam ex Maria virgine incarnato, angeli eum ſaluatorem eſſe prædicant, eidem teſtimonium fert Ioannes, & Deus pater cœlitus teſtatur, hunc filium ſuum eſſe, in quo ſibi complacuerit. Ipſe verò in cruce iam moriens, dicebat, Conſummatum eſt: eo dicto docens in ipſo compleri quæcunque ad noſtræ redemptionis negotium faciebant. Conſentiunt his Apoſtoli, qui omnes vnanimi conſenſa coram Hieroſolymitano ſenatu dixêre: Non eſt in alio quoquam ſalus. Non eſt enim aliud nomen ſub cælo hominibus datum in quo ſaluari poßint: & Paulus cùm in tertium cælum raptus ineffabilia vidiſſet regni cælorum myſteria, tamen ſe nihil præter Chriſtum Ieſum ſcire fatebatur, & idē anathema pronunciat tam homines quàm angelos, qui aliud Euangelium, id eſt, aliam ſalutis rationem prædicare auſi fuerint. Patet ergo ex his, quæ fides antiquißima & orthodoxa ſit, de qua hodie paßim contenditur. Vna nimirum hæc, quæ omnem ſalutis ſpem in vno Chriſto collocat, hunc vnum noſtrum pro delictis omnibus ſacrificium, vnicum mediatorem & aduocatum, & vnicam viam agnoſcit, qua ad patrem venitur. Quicquid ergo præter Chriſtum traditur, hoc omne nouum, fictitium & falſum eſt. Nec eſt, quòd huius fidei prædicatione homines ſecuros reddi & bona opera abrogari quiſquam metuat. Quicunque enim ſolius Chriſti morte peccata expiari potuiſſe intelligunt, ij ſimul quanta ſit illorum atrocitas vident, illa abominantur, & iuxta Chriſti exemplum ipſi quoque peccatis moriuntur indies, carnem ſuam cum ſuis cupiditatibus crucifigūt, & cum Chriſto reſuſcitati in vitæ nouitate ambulant. Minimè ergò Epicuri de grege porcis hæc doctrina patrocinatur, qui fidei profeßionem peccandi licentia polluunt.*

Ioan 3. 6. 1. Cor. 10. 5. etc. 1. Pet. 1. Ioan. 19. 2. Cor. 12. 1. Cor. 2. Galat. 1. Fides orthodoxa & antiquiſſima. Rom. 6. Galat. 5.

*Porrò, vt dicendi finem faciamus, obſeruandum eſt, vt iſta acceperint diſcipuli. Meminit huius Lucas, & bis terq; inculcat, quòd nihil horum intellexerint. Ignorantiæ huius cauſa alia allegari nequit, quàm quòd falſa opinione de regno Chriſti terreno præoccupati, ea capere nequeunt, quæ illi aduerſabantur. Vbi patet, quanta ſit noſtræ carnis cæcitas. Cùm enim homo animalis per ſe non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus dei: incurabilis planè & pluſquàm belluinus ſtupor oboritur, ſi inſuper falſæ imaginationes hominis mentem occupent. Quid enim ſimplicius, apertius & magis perſpicuè dici poterat, quàm quod in præſenti Chriſtus dixit? Sed nequicquam hæc illis dicit, qui regnum terrenum ſomniabant. Ne miremur ergo, quòd hodie ex Euangelij prædicatione pauci proficiunt, quando non vnus affectus hominum ferè omnium mentes faſcinat. Sunt enim quos veteris ſuperſtitionis perſuaſio captos tenet. Sunt qui opum & dominandi ſpe excæcantur. Alios peccandi licentia tranſuerſos abripit. Multi odio & nefaria æmulatione inflammati, agnitam Veritatem auerſantur. Sinamus autem nos eos, quibus ſordere & perire libet. Ipſi verò eam ſalutis viam ingrediamur, quam ſcripturæ nobis monſtrant: nec terreamur cruce & afflictionibus quas ſuæ crucis merito conſecrauit Chriſtus Ieſus, vt in illum credentibus ad ſalutem cooperentur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

Diſcipulorum ignorantia. 1. Corinth. 2.

## HOMILIA LXXXVIII.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Ipſe uerò dixit eis: Quid me uultis facere uobis? Illi autem dixerunt ei: Da nobis, ut unus à dextra tua, & alter à ſiniſtra tua ſedeamus in gloria tua. Ieſus autem dixit eis: Neſcitis quid petatis. Poteſtis ne bibere poculū, quod ego bibo: & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Poſſumus. Ieſus autem ait eis: Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptiſmate, quo ego baptizor, baptizabimini: Sed ſedere à dextra mea & ſiniſtra mea, non eſt meum dare, ſed ijs continget quibus paratum eſt.

*EVangeliſtæ non modò noſtræ redemptionis myſteria & ſalutis rationem in Chriſto tradūt, verumetiam multa exempla proponunt eorum, qui Chriſtum vel verè vel perperā amplexi ſunt:*

Argumentum & uſus præſentis loci.

*vt ex ijs diſcamus, quid nos vel facere vel vitare conueniat. Facit huc imprimis præſens hiſtoria, quæ primùm duorum diſcipulorum exemplo docet, quid caro in Chriſti regno potiſsimùm quærat; deinde ipſius Chriſti verbis nos admonet, quæ nam fidelium conditio ſit in hoc mundo, & quæ præcipua ſint fidei & vitæ Chriſtianæ officia. Diligenter ergo per ſingulas partes inſpicienda erit.*

Zebedidæ in Chriſti regno primatum ambiunt.
Matth. 4.
Marc. 4.
Matth. 20.

*Principiò diſcipuli producuntur, qui in Chriſti regno primatum ambiuerunt. Fuerunt hi Ioannes & Iacobus filij Zebedæi, Ieſu Chriſti iuxta illius humanam naturam cognati, quos initiò ſtatim ſuæ manifeſtationis ille vocauit, & ſibi familiariſsimos habuit, & ob ſingularem prædicationis ipſorum authoritatem tonitrui filios dixit. Hi cùm Chriſtum Dominum de ſua morte & reſurrectione diſſerentem audiuiſſent, iam tempus regni ipſius (quod terrenum & externum ſomniabant, vt iam ſæpe dictum eſt) inſtare arbitrabantur, & quia ob cognationem aliquam in hoc prærogatiuam ſibi deberi putabant, de hac conſequenda ſoliciti eſſe cœperunt. Et quidem mira induſtria cauſam ſuam agunt, vt illam ipſis cordi fuiſſe ſatis pateat. Primò enim (quod Matthæus annotauit) matrem ſubornant, vt huius interceſsione, quod volunt, impetrent. Deinde Chriſtum ſibi promiſsione facta obſtringere conantur, priuſquam petitionem ſuam exponant. Volumus (inquiunt) vt quicquid petierimus, facias nobis. Illo autem interrogante quid velint, aiunt: Da nobis, vt vnus noſtrûm à dextera tua, alter à ſiniſtra tua ſedeamus in gloria tua. Iis verò verbis non aliud quàm primatum inter diſcipulos ſibi tribui petunt: vt nimirum Chriſto proximi aſsideant, illi ſint à conſilijs, vtq́ ipſorum potiſsimùm nutu & authoritate regnum illius totum adminiſtretur.*

Carnis uanitas in electis quoq; elucet.

*Habent hæc exemplum humanæ vanitatis, imò peruerſitatis, quæ in pijs quoque & vera fidei zelo præditis ſeſe frequenter exerit. Fide enim hos donatos fuiſſe, ex eo patet, quòd hucuſque Chriſtum ſecuti ſunt, quòd regnum in hoc ſperant, etſi nullum adhuc regni aut gloriæ ſpecimen viderint. Nihilominus tamen ambitione ſuperati, petitionem abſurdam ſimul & iniquam, vt poſtea patebit, proponunt: imò ad eundem lapidem offendunt, de quo non ſemel illos Chriſtus admonuerat. Cauſa tanti mali eſt, quòd de Chriſti regno non verè iudicant, ſed illud terrenum & temporarium imaginantur. Hæc ipſa cauſa multis imponit hodie, quòd nimirum in Chriſto longè alia quærunt, quam Euangelium nobis in illo polliceatur. Eo enim prætextu multi opibus eccleſiarum inſidias ſtruunt, multi ad honores & dignitates aſpirant, multi immunitatem à cenſibus, decimis, vectigalibus & alijs eius generis oneribus politicis quærunt, plerique verò peccandi impunitatem & carnis licentiam venantur. Hinc eſt quòd multa ineptè & abſurde, multa iniuſtè & non ſine graui aliorum ſcandalo fiunt. Sedulò igitur orandus eſt Deus, vt mentis oculos non modò ſemel fide vera illuminet, verumetiam illuminatos dirigat, ne quid in Chriſto quæramus quàm ea, quorum nomine is in mundum venit, vtq́ omiſsis terrenis ſtudijs ad cæleſtia bona aſpiremus.*

Chriſtus Zebedidarum petitionem reijcit.

*Porrò Chriſtum audiamus, qui iſtorum petitionem reijcit, ſed non ſine grauiſsimis rationibus, quas ita proponit, vt omnium noſtrûm inſtitutioni ſeruiant. Primam ex ipſa petitione ſumit, eò quòd abſurda & inutilia & diſcipulis ſuis indigna poſtulent. Dicit enim: Neſcitis quid petatis. Quaſi dicat, Qui ſe indigna & inutilia petunt, nec ipſi certam habent ſuorum votorum rationem, nequaquam merentur exaudiri. Atqui talis eſt veſtra petitio, vt ſi illam probè intelligeretis, nunquam eam auſi eſſetis proponere. Vobis ergo illam concedere nec poſſum nec debeo. Putabant quidem ſe rem præclaram, vtilem & ſe dignam poſtulare: ſed multiplex ignorantia & error ſuberat. Primò enim conditionem regni Chriſti ignorabant, cùm illud humano ſenſu metirentur. Deinde ſuum officium nondum intelligebant, quòd nimirum non ad imperium, ſed miniſterium eſſent vocati. Plus ergo petebant, quàm ipſorum conditio pateretur. Adhæc inutile, imò noxium fuiſſet hominibus ambitioſis ſuperbiendi occaſionem præbere. Præterea intolerabilis ſuperbia fuit, qua dementati fuêre, vt admonitionū Chriſti immemores, ſupra alios diſcipulos omnes euehi vellent. Optimò igitur iure illos Chriſtus ignorantiæ accuſat, & ipſorum petitionem reijcit.*

Cur Deus precibus noſtris non annuat ſemper.

*Porrò admonemur iſto exemplo, qui fiat, quòd precibus noſtris Deus non ſemper annuit: Nimirum quòd plerūq; inſcitia & carnis affectu abrepti vel inepta & indigna petimus, vel iniuſta & quæ cum Dei honore pugnant, vel etiam noxia. Tales ſunt, qui corporis formam venuſtiorem, vel opum abundantiam, vel honores, vel valetudinem bonam abſolutè petunt, quibus illos abuſuros eſſe Deus nouit. Quibus turpius errant, qui vindictam Dei contra hoſtes implorant, adeoq; Deum iræ & odij*

ſui

*ſui miniſtrum fieri volunt. Iſtos omnes Deus exaudire nequit, quia ſapiens, bonus, noſtri amans &
iuſtus eſt. Quotquot ergo votis ſuis potiri volunt, eam precandi regulam ſequantur, quam in ora-
tione Dominica nobis Chriſtus præſcripſit, & preces ſuas per fidei obedientiã voluntati diuinæ ſub-* Matth. 6.
*ijciant, nec illi quicquam temerè præſcribant: & mox ſentient ratas eſſe promiſſiones, quas de preci-
bus noſtris exaudiendis paſſim in ſcripturis Deus proponit.*

*Secundam rationem à communi omnium in ſe credentium conditione Chriſtus petit, quos per cru-* Electos cruce
*cem & afflictiones exerceri oporteat, priuſquàm regni cæleſtis coronam aſſequantur. Vt verò ſimul* oportet exer-
*duorum iſtorum confidentiam arguat, interrogatione vtitur, dicẽs: Poteſtis ne bibere poculum quod* ceri priuſquàm
*ego bibo, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Poculi verò nomine iuxta vſitatum ſcripturæ mo-* glorificentur.
*rem, afflictiones intelligit, & eaſdem baptiſmi quoq; metaphora denotat, vt oſtendat, ipſos de cruce* Iſaiæ 51.
*ferenda potius debere cogitare, cùm in baptiſmo in militiam Chriſtianam nomen dederint, quæ in car-* Iere. 25. 49. 51.
*nis mortificatione, patientia item in cruce & afflictionibus maxima ex parte conſiſtit. Senſus ergo* Thren. 4.
*eſt: Qui ad certamina & crucem vocati ſunt, de triumphis & otio quærere non debent, donec vi-* Ezech. 23.
*ctores euaſerint. Nec enim coronatur qui certat, niſi legitimè certauerit. At vos ad certamen vo-* 2. Tim. 2.
*catos eſſe ſcitis haud dubiè, cùm non ita pridem omnibus vobis dixerim: Si quis vult poſt me venire,* Matth. 16.
*abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quæ ergo hæc veſtra eſt importunitas, vt* Marc. 8.
*de præmio iam quæratis, priuſquàm in arenam deſcendiſtis, imò priuſquàm vires veſtras explora-
uiſtis, an huic veſtræ vocationi ſufficiant? Dicitis quidem, vos poſſe meum poculum bibere, ſed longè
aliud res ipſa teſtabitur, quando me capto & vincto diffugietis: bibetis tamen ſuo tempore, ſed nec id* Acto. 12.
*vobis regni mei conſortium merebitur, cuius aſſequendi ratio aliunde, quàm ex hominum dignitate* Apoc. 1.
*& meritis dependet. Hæc verborum Chriſti ſententia eſt, meo iudicio, ſimpliciſſima. In qua diligenti
obſeruatione dignum eſt, electos & fideles, quoad præſens ſeculum, ad crucem vocari. Docet hoc paſ-
ſim ſcriptura, ſicuti nuper diximus, nec aliud nos ſperare ſinit cùm mundi peruerſitas, tum noſtræ car-
nis ingenium, cuius ferociam afflictionibus quotidianis coerceri ac frangi oportet. At hîc nos ani-
mare debet, quòd afflictiones noſtras Dei prouidentia gubernari ſcimus, qui illas ceu calice quodam
aut poculo, id eſt, menſura iuſta & æqua, pro virium noſtrarum ratione diſtribuit, vt vbi afflictio-
nes abundant, ibi etiam abundent conſolationes. Deinde Chriſti conſortes ſumus, quando affligimur,* 2. Corinth. 1.
*& idem cum illo poculum bibimus, & eodem cum illo baptiſmate baptizamur. Cum eodem ergo (vt* Pſal. 94.
*Paulus ait) viuemus & regnabimus. In horum meditatione nos hodie verſari oportebat, quando* 2. Timoth. 2.
*crux & pericula vndiq; imminent. At pleriq; Zebedidas hoſce imitati, nihil quàm otium quærũt,
& triumphos parant priuſquàm certauerint. Turpior tamen & grauior illorum culpa eſt, qui cùm
ſe Chriſtianos profiteantur, totos ſeſe impuris voluptatibus conſecrant, nec Chriſti poculum bibunt,
ſed Bacchanalia perpetua agentes potandi certamina ſuſtinent, nec alia in re viri fortes ſunt, quam
quòd vinum immodicè & intemperanter hauriunt. Atqui vel ſola poculi vox illos conditionis ſuæ* Iſaiæ 5.
*& officij admonere debebat. Sed regnat peſtis hæc, ſicuti regnaturam nouiſſimo ſeculo Chriſtus præ-* Matth. 24.
*dixit. Non tamen ideò excuſantur iſti, quando idem Chriſtus nos grauiter monuit, ne corda noſtra* Lucæ 21.
*ebrietate & crapula aggrauari patiamur, & exemplis quotidianis nos excitat, quæ in illos edit, qui
admonitionum immemores, turpiſſimis hiſce ſtudijs ſeſe perdunt.*

*Sed ad Chriſti verba redeamus, qui tertiam adhuc rationem infert, à ſua perſona ſimul & regni* Chriſti officiũ.
*cæleſtis conditione petitam. Cùm enim illos poculum ſuum bibituros dixiſſet, mox addit: Sed ſedere
à dextra mea & ſiniſtra mea, non eſt meum dare, ſed ijs continget, quibus paratum eſt. Quibus
verbis nihil ſuæ diuinitati derogat, nec etiam negat poteſtatem ſibi à patre traditam in cœlo & in ter-* Matth. 28.
*ra, ſed primò ad ſuæ diſpenſationis myſterium reſpicit, iuxta quod eos, qui ab æterno electi fuerunt,
ſuæ mortis merito redimere, non autem nouam cæleſtis gloriæ diſtributionem inſtituere debuit, nec
etiam reuelare quinam alijs excellentiores futuri ſint. Quales enim futuri ſimus, iam non conſtat,* 1. Ioan. 3.
*ſciemus autem quando Chriſtus in gloria ſua apparuerit. Deinde diſcipulorum errorem arguit, qui
prærogatiuam iſtam ſibi cùm propter cognationem, quæ illis cum ipſo intercedebat, tum propter ope-
rum ſuorum merita deberi arbitrabantur. Oſtendit enim non eſſe aliquem perſonarum reſpectum a-
pud Deum, nec quicquam hîc vel generi vel dignitati humanæ tribui, ſed omnem cæleſtis regni hæ-
reditatem à gratuita & libera Dei electione & prædeſtinatione pendere. Docet hoc ipſum alibi,*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Regni cœlorũ hæreditas à Dei gratia depẽdet.

Ioan. 6.
Coloſ.3.
Galat.3.
Rom.8.
Actorum 13.

*cùm ait: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Et Paulus in huius articuli explicatione frequens eſt admodum, nec ſemel modò inculcat, in Chriſto Ieſu non eſſe Iudeum vel Græcum, Scytham vel barbarum, ſeruum vel liberum, marem vel fœminam. Et ad Romanos redemptionis noſtræ & ſalutis gradus ab electione Dei deducens ait: Quos præſciuerat, eoſdem & præfiniuit: quos prædefinierat, eoſdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Quò etiam facit, quòd in Actis credidiſſe dicuntur, quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam. Sunt hæc diligenter obſeruanda. Vt enim ſuperbam noſtri meriti fiduciam euertunt, & Dei gratiam firmiſſimè aſſerunt: Ita de ſalutis noſtræ certitudine teſtantur, & proinde conſolationem in tentationibus afferunt haud vulgarem. Quia enim Dei dona & vocatio eiuſmodi ſunt, vt illum horum pœnitere non poſſit, de ſalute ſua dubitare non poſſunt, quicunque per fidem Chriſto inſiti, diuinæ electionis & vocationis indicia in ſemetipſis deprehendunt. Idem ergo cum Apoſtolo clamant: Si Deus nobiſcum, quis contra nos? Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? Præterea inſtitutioni hoc ipſum ſeruit, vt nimirum Deo grati ſimus, & vt Petrus monet, electionem & vocationem noſtram firmam faciamus, id eſt, reipſa teſtemur, nos verè electos & vocatos eſſe, adeoq; noſipſos in vocatione noſtra confirmemus, dum ſancte & innocenter viuimus. Semper ergo horum memores, nihil noſtræ vel dignitati vel iuſtitiæ tribuamus, nec etiam huius ſeculi honores ambitioſe ſectemur, ſed ſalutis ſpem omnem in ſola Dei gratia repoſitam habeamus, qui nos priuſquàm mundi fundamenta iacerentur, elegit in Ieſu Chriſto, cuius merito deinceps peccatorum culpa liberati & regni cœleſtis hæredes facti ſumus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

Rom.11.

Rom 8.
2. Pet.1.

Ephes.1.

## HOMILIA LXXXIX.

**Et cùm audiſſent hæc alij decem, cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne. Ieſus autem cùm aduocaſſet eos, dicit eis; Scitis quòd quibus placet imperare gentibus, dominantur in eas; & qui magni ſunt inter eas, licentia in eas utuntur. Verùm non ita erit inter uos: ſed quicunq; uoluerit fieri magnus inter uos, ſit miniſter ueſter. Et quicunq; uoluerit ex uobis fieri primus, ſit omniũ ſeruus. Nam & Filius hominis non uenit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, & daret animã ſuam redemptionis pretium pro multis.**

Argumentum & uſus præſentis loci.

*VT homo, cùm è terra originem ducat, terrenis ſtudijs delectatur, & in his omnem felicitatem conſiſtere putat: Ita religionem quoque huius ſeculi proſperitate metitur, & ſub huius prætextu opes, honores, imperium aut voluptates quærit. Exempla eius rei non modò in prophanis hominibus, verumetiam in electis Chriſti diſcipulis ſcriptura proponit, vt horum conſyderatione excitati vigilemus, nec vnquam eorum obliuiſcamur, quibus Chriſtus iſtorum ambitionem repreſſit. Facit huc cumprimis præſens tractatio, cuius occaſionem dederunt duo Zebedæi filij, qui propter cognationis ius ſibi in Chriſti regno primatum deberi putarunt. At licet hos Chriſtus ſeriò corripuerit, nunc tamen ad eundem lapidem reliqui decem offendunt, vt ipſi quoque reprehendi mereantur. Seruit autem communi omnium noſtrûm inſtitutioni locus hic; quia humilitatis ſtudium commendat, & ſimul eccleſiaſticæ gubernationis rationem continet, quæ palàm eos arguit, qui hodie Apoſtolorum nomine ad ſuum primatum in eccleſia ſtabiliendum abutuntur.*

Diſcipuli Zebedidis indignantur.

*Principio de diſcipulis reliquis agitur, qui omnes ſimul indignati ſunt, quòd Zebedidas iſtos tanto aſtu & ſtudio in hoc verſari viderent, vt primum in Chriſti regno locum poſſent occupare. Indignantur autem, non quòd ambitio hæc illis diſpliceat, ſed quòd ipſi eodem ambitionis œſtro exagitati, ferre non poſſunt, ab æqualibus ſibi præripi, quod ſinguli ſibijpſis deberi arbitrabantur. Vt enim ambitioſi neminem prorſus ſuæ dignitatis cõſortem admittere poſſunt: ita hoc demum illis indignum ſimul & intolerabile videtur, ſi ab ijs ſuperentur, qui ipſis prius æquales & ſocij fuerunt. Ideo indignati*

gnatio hæc diſcipulorum cum inuidia & odio coniuncta in apertum diſsidium erupit: ſicuti ex Chriſti reſponſione patet, qua illos ad humilitatem & mutua obſequia hortatur.

Humani ingenij corruptio.

Obſeruabimus autem in horum exemplo infelicem humani ingenij corruptionem, quæ vix vllis admonitionibus ſatis corrigi vel coerceri poteſt. Corripuit modò duorum diſcipulorum ambitionem Chriſtus, & grauiſsimis rationibus euicit, petitionem ipſorum inhoneſtam, iniquam & à regni ſui conditione alieniſsimam eſſe: ſimulq́ue docuit, crucem potius quàm huius mundi gloriam ijs paratam eſſe, qui in diſcipulorum ſuorum numero cenſeri, & in ipſo piè viuere cupiant. Et quis obſecro ſperaſſet, aliquem fore poſthac, qui de regno vel cogitare, nedum illud palam ambire auderet, quando Chriſti conſanguinei repulſam adeò pudendam paſsi erant? Sed ecce, non vnus modò & alter, ſed reliqui decem ſimul omnes ſe eodem morbo laborare teſtantur, & latentem in animis ſuis ambitionem, inuidiam item & odium, manifeſtis rixis & diſsidijs produnt. Fit idem paſsim, & ſicut in agro ſentibus & ſpinis obſito, vix vlla agricolæ induſtria effici poteſt, vt non repullulent quæ probè exciſa videbantur: Ita inter homines, qui natura corrupti ſunt, eadem & ſimilia vitia ſubinde denuò emergunt. Imò quæ in alijs corripiuntur, ferè in nobiſipſis non obſeruamus, quæ cauſa eſt, quòd correptiones eiuſmodi nihil putamus ad nos pertinere. Non temerè ergo Deus in verbi ſui miniſtris tantum ſtudium & ardorem requirit: nec ſufficit vitia in genere accuſauiſſe, niſi doctrina ſingulis applicetur. Quod qui indignum factu & intolerabile eſſe putant, næ illi ſeipſos nondum ſatis nouerunt. Si enim ſui ingenij corruptionem rectè perſpectam haberent, nunquam hoc ſufferre detrectarent, quo dilectos Chriſti Apoſtolos videmus opus habuiſſe, &c.

Ambitionis peſtis quanta.

Deinde patet hîc etiam, quanta ſit ambitionis peſtis. Erant Apoſtoli æquales, & in eodem officij gradu conſtituti, omnia communia habebant. Charitatem ijſdem Chriſtus quotidie commendabat, quam ſibi neceſſariò colendam eſſe, non poterant ignorare, cùm vndiq; hoſtes infeſtiſsimi ipſis imminerent. Accedebat his Chriſti exemplum, qui totus nihil quàm charitatem & modeſtiam ſpirabat. (Matth. 11.) Attamen quia ambitioni locum dedêre, mox communis officij ſimul & periculi, adhæc inſtitutionis quotidianæ obliti, ſibi mutuò inuident, oderūt, rixantur. Exempla ſimilia paſsim occurrūt. Imò hinc omnibus ſeculis turbæ enatæ ſunt, quæ reſpublicas & eccleſias horribiliter attriuerunt. Annon ambitione exagitatus Cain, Abelum occidit, quem ſe fortunatiorem eſſe videbat? (Gen. 4. & 37.) Annon ambitio fratres aduerſus Ioſephum armauit? (Num. 16.) Annon Coræ ambitione Iſraelitæ in deſerto aduerſum ſe mutuò commiſsi ſunt? (1. Sam. 18.) Quid Saulum Dauidi infenſum fecit, niſi ambitioſa regnandi cupiditas? Vnde apud Romanos ciuilia bella exorta ſunt? Ex eorum nimirum ambitione, qui nec pares ſibi, nec ſe maiores ferre poterant. Et hodie inſatiabili regum ſuperbia orbem totum bellis turbari cernimus. Sed & in eccleſia epiſcoporum de primatu contendentium ambitio, Antichriſti tyrannidem maxima ex parte ſtabiliuit. Diſcant igitur huic malo reſiſtere, quotquot reſpublicas & eccleſias ſaluas & incolumes eſſe volunt.

Chriſtus Apoſtolorū lites cōponit.

Porrò ad Chriſti reſponſionem tranſeamus, qui ad ſe vocatis diſcipulis, litem hanc amicè componit; & diligentem inſtitutionem ijs adhibet, quos ignorantia potiſsimùm peccare ſciebat. Cùm verò ſuam authoritatem tam citò interponit, ſatis docet, ſe nihil minus quàm ſuorum diſsidia ferre poſſe. Et illius exemplum imitari debent in cōponendis diſsidijs, quicunq; aliqua authoritate ſunt præditi. Ipſius enim vox eſt: Beati pacifici, quoniā filij Dei vocabuntur. (Matth. 5.) Reſponſionis autem partes ſunt tres.

1. Diſtinguit inter miniſtros et magiſtratus.

Primò, quia regnum terenum ſomniando aduerſus ſe inuicem amarulentius efferebantur, oſtendit longè aliam eſſe regni ſui conditionem, ſicq́ue inter magiſtratus huius ſeculi & ipſorum munus pulchre diſtinguit. Scitis (inquit) quòd quibus placet imperare gentibus, dominantur in eas: & qui magni ſunt inter eas, licentia in eas vtuntur. Quibus verbis eos perſtringit, qui poteſtate ſibi conceſſa pro ſuo arbitrio abutuntur, quaſi in hoc demum ipſorum gloria & laus conſiſtat, ſi ſubditis, perinde vt belluis imperitent. A quorum moribus non procul aberant diſcipuli, cùm in eos ſinguli cuperent dominari, quos pro fratribus & ſymmyſtis agnoſcere debebant. Argumentum igitur tale eſt: Quicunq; mei diſcipuli & mei regni adminiſtratores eſſe volunt, ij nequaquam reges gentium à Dei cognitione alienos imitari debent, qui nulla ſubditorum & ſalutis publicæ ratione habita, ambitioſa licentia inſolenter efferuntur. At vos mei regni adminiſtratores conſtitui. Ergo tales vos eſſe nequaquam conuenit, &c.

Chriſtus non abolet magiſtratus.

Matth. 5.
Iſaiæ 49.
Rom. 13.

Hîc verò diligenter obſeruari debet, Chriſtum hoc loco legitimos magiſtratus minimè abolere, vt quidam calumniantur: ſed partim (vt modò diximus) ambitionem & inſolentiam tyrannorum perſtringere, partim inter magiſtratũ politicum & functionem eccleſiaſticam diſtinguere. Cùm enim non venerit ad abrogandum legem, vtiq; nec ea abrogat, ſine quibus legis diſciplina conſiſtere nequit. Inter quæ magiſtratus primo ferè loco cenſeri debet, quem in lege ordinaria poteſtate armauit, & eccleſiæ ſuæ nutritium fore promiſit. Sed & Paulus magiſtratus à Deo inſtitutos eſſe, & Dei miniſtru agere teſtatur. Et cùm ipſe Chriſtus, deinde Apoſtoli quoque nonnullos, qui magiſtratum gerebant, ad fidem adduxerint, nulli tamen illorum vnquam mandarunt, vt ſuæ functioni, ceu illicitæ & prophanæ, renunciaret. Attamen meminerint tales, à Chriſto ambitionẽ & tyrannidem taxari, & proinde cogitent, iudicium omne ipſius Dei eſſe, à quo ipſi poteſtate donati & iudiciorum ipſius executores conſtituti ſint: qui & ipſe iudicijs & conſeſſibus illorum (vt Pſaltes monet) intereſt, & olim rationem factorum omnium exiget. Meminerint item, ſe ad publicæ ſalutis defenſionẽ & conſeruationem inſtitutos eſſe, vt ius dicant populo in iuſtitia, & afflictos in populo vindicent, ſeruent pauperes, & violentos coerceant. Vide plura in Pſalmo 72. quæ ſi obſeruarint magiſtratus, nunquam aberrabunt, & tam ſuæ quàm publicæ ſaluti probè conſulent.

Deut. 1.
2. Para. 19.
Pſal. 82.

2. Conditionis ſuæ & officij admonet diſcipulos.

Secundò, quæ diſcipulorum conditio futura ſit docet, & eoſdem officij ſui admonet. Quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, ſit miniſter veſter: & qui voluerit ex vobis fieri primus, ſit omnium ſeruus. Quæ verba non ita accipi debent, quaſi ideò ſeruos fieri iubeat, vt eo prætextu magnifiant: ſed vt multis inſeruiendo ſe præſtantiores alijs eſſe probent. Senſus enim eſt: Quo quis plura & maiora dona accepit, eò plus ſe reliquis debere intelligat. Nec enim ſua dona Deus hominibus largitur, vt ea ſibi ſolis vſurpent, ſed vt in commune conferant: & quod de opibus diſpenſandis alibi dicitur, hoc ipſum ad omnia alia dona, tam ſpiritualia quàm temporalia transferri debet. At hîc tenere oportet, de quo nam ſeruitij genere Dominus loquatur. Nec enim vult, vt ſeruiliter cuiuis hominum ſeſe ſubijciant, & omnium dictis aut factis turpiter applaudant: ſed de eccleſiaſtico miniſterio loquitur, cuius hîc illis finis propoſitus eſſe debet, vt docendo, monendo, hortando, increpando, promittendo item & conſolando quàm plurimos Deo lucrifaciant: adeoq; ceu publici ſpeculatores pro cõmuni omnium ſalute excubent, quæ ratio eſt, quòd olim Epiſcopi dicti ſint, qui eccleſijs præſunt. Ita prophetæ & Apoſtoli omnibus ſeruierunt, & (vt Paulus ait) omnibus facti ſunt omnia, qui tamen interdum regibus & Imperatoribus ſeſe fortiter oppoſuerunt. At hodie Pontifices, cùm Apoſtolorum ſucceſſione glorientur, tam conditionis ſuæ, quàm admonitionis huius obliti, docendo quidem nemini ſeruiunt, omnes verò homines in ſuo ſeruitio occupatos eſſe volunt, inq; omniũ fortunas & corpora & animas ſibi imperium vendicant, ſimulq; regibus & Imperatoribus ſeſe opponunt, vt terrenum regnum ſtabiliant, & pro ſua libidine dominentur.

Luc. 16.
2. Cor. 8. &c.

3. Suum exemplum imitandũ proponit.

Tertiò, quia carni graue & iniquum videtur, alijs ſeruire quãdo ſe donis maioribus inſtructum eſſe videt, ſuo exemplo illos Chriſtus vrget. Quaſi dicat, Non debet hoc vobis graue videri, quando me hoc ipſum facere cernitis. Ego enim qui Dei filius ſum, hominis quoq; filius ſum factus, & in mundum veni, non vt principum more famulorum turbam meis ſeruitijs occupatam haberem, ſed vt ego alijs miniſtrarem: nec modò vulgaria præſtarem officia, ſed animam quoq; darem in pretium redemptionis pro multis, id eſt, pro omnibus quos pater cæleſtis ab æterno elegit vt meæ mortis merito redimantur. Ad horum confirmationẽ faciunt, quæcunq; Euangeliſtæ de humili & ſeruili Chriſti leſu in terris conuerſatione tradunt, quam ita inſtituit, vt neminem ad ſe venientem ſit aſpernatus, nemini conſilium vel auxilium ſuum negarit: imò ipſe quæſierit eos, quibus docendo & benefaciendo inſeruiret, & adeò nullum detrectauit officium, vt ſanguinẽm quoq; pro nobis fundere, & infamem in cruce mortem ſubire voluerit, vt miſeros nos ex peccati ſeruitute in libertatem filiorum Dei aſſereret. Seruiunt iſta inſtitutioni quoad præſentem cauſam. Nam ſi Chriſti diſcipuli ſumus, illum nos imitari conuenit. Quòd ſi verò quis ille ſit conſyderes, quid item fecerit, & pro quibus ſerui formam ſuſcipere & mori voluerit: mox ambitioſis & ſuperbis omnis prætextus adimetur, quem illi vel à ſua dignitate, vel aliorum indignitate, aut etiam difficultate earum rerum petere ſolent, quæ ab ipſis requiruntur. Finis autem idem, qui Chriſto, nobis propoſitus ſit: vt nimirum multorum redemptioni ſtudeamus. Etſi enim redemptio animarum ad ſalutem æternam ad vnum au-

thorem Chriſtum referri debeat: ſingulorum tamen eſt, pro ſuorũ donorum facultate ijs redimendis ſtudere, quos vel paupertas, vel inſcitia, vel conſcientiæ tentationes, vel morbi, vel exilium, vel alia eius generis aduerſa captiuos detinent. Ea enim vera laus eſt, quæ Chriſto quàm ſimillimos reddit, à cuius ingenio & moribus alieniſsimi ſunt, qui ex eo gloriam venatur, ſi plurimos imperio ſuo premant, neminem verò ſua ope & auxilio ſubleuent. Deinde ad ſalutis noſtræ certitudinem aſſerendam plurimum facit, quòd Dei filius animam ſuam, pretium noſtræ redemptionis, pro nobis tradidit. Quis enim hunc paſſurum arbitretur, vt eos perire ſinat, quos tanto pretio acquiſiuit? Simul verò arguuntur, qui nouas ſatisfactiones fingunt. Quid enim nos tanto pretio redimi opus erat, ſi hoc ipſum noſtra merita, noſtræ preculæ, noſtra ieiunia, peregrinationes, cucullæ, Miſſæ, bullæ & quæcunq; alia ſunt huius farinæ, præſtare poterant? Noſtrum fuerit, in vnius Chriſti merito acquieſcere, & illius exemplum imitari. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA XC.

Et ueniunt Hiericho, eoq; egrediente ab Hiericho unà cum diſcipulis ſuis & turba multa, filius Timæi, Bartimæus, ſedebat iuxta uiã mendicans: Et cùm audiſſet, quòd eſſet hic Ieſus Nazarenus, cœpit clamare & dicere: Fili Dauid Ieſu, miſerere mei. Et obiurgabant eum multi ut ſileret: ille uerò multò magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei. Et Ieſus cùm reſtitiſſet iuſsit eum uocari. Vocãt igitur cęcum, dicentes ei: Cõfide, ſurge, uocat te. Ipſe uerò abiecto pallio ſuo cùm ſurrexiſſet, uenit ad Ieſum. Et reſpondens dicit ei Ieſus: Quid uis faciam tibi? At cæcus ait illi: Rabboni, ut uiſum recipiam. Ieſus autem dixit ei: Abi, fides tua te ſeruauit. Et ſtatim recepit uiſum, & ſequebatur Ieſum in uia.

Argumẽtum & uſus præſentis hiſtoriæ.

DIu quidem multumq; Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuos diſcipulos in humanæ redemptionis & regni ſui myſterijs inſtituit: adeò tamen nihil aut parũ profecit, vt illum ne intellexerint quidem (vt nuper dictum eſt) & cæca carnis ambitione elati, regnum carnale & terrenum ſubinde affectarint. Proponuntur iſta in eum finem, vt noſtram corruptionem, & quæ ex primi parentis lapſu nobis inhæret, cæcitatem agnoſcamus, deq; eius remedio & curatione ſedulò cogitemus, quam præſentis miraculi hiſtoria nobis monſtrat. Docet enim Chriſtum Ieſum eſſe lucem mundi, quæ omnem hominẽ illuminat, ſimulq; eos officij admonet, qui vera iſta & ſalutari luce illuminari cupiunt. Quare ſingulæ eius partes diligentiſsimam conſyderationem merentur. Ioan. 8.

Cæci deſcriptio

Primò ille producitur, in cuius perſona miraculum eſt factum: Cæcus is fuit, quæ non poſtrema miſeria eſt. Accedit egeſtas, quæ tanta fuit, vt ſtipem poſcere, & mendicando victum quærere cogeretur. At quoties in Euangelio mendicorum mentio fit, ſimul Iudaicæ gentis corruptio perſtringitur. Scimus enim Deũ olim in lege ſua prohibuiſſe, ne mendici eſſent in Iſrael. Deut. 15. Nolebat enim vt quos ipſe ſibi peculium fecerat, fratres & cognatos ſuos hinc inde vagari & publica egeſtatis exempla fieri paterentur. Vt enim illud charitatis legibus repugnat, ita in fidei & religionis contumeliam cedit, & diſciplinæ cùm eccleſiaſticæ tum politicæ officit, quando mendici ferè errones facti, paulatim omni pudore abſterſo, in omnem licentiam ruunt. Rationem ergo oſtenderat Deus, qua publicè Deut. 14. 16. ſimul & priuatim fratribus egenis ſubuenirent, ne qua ex mendicitate confuſio oriretur. Leuit. 23. 29. At poſtquàm ſacerdotum auaritia religionem quæſtum fecit, & ijdem in Dei populo dominium occuparũt, mox opes etiam eccleſiæ inuadere ſibiq; vendicare cœperũt: quæ cauſa fuit, vt contra Domini præceptum mendici paſsim reperirentur. Correxit vitium hoc primitiua eccleſia, quæ etſi in templi opes à ſacerdotibus iam ante occupatas, nihil iuris habere poſſet, ita tamen ex Apoſtolorum cõſilio res ſuas inſtituit, vt ex pecunijs ſpontè collatis egentium neceſsitati ſubueniretur, nec quiſquam eſſet, quem Act. 2. 4. 5. egeſtas ab alienis victum emendicare cogeret. Erant hæc obſeruanda hodie, quando multi cum Iudæis ad eundem lapidem impingunt. Sed cogitent, quàm horribiliter Iudæorũ inhumanitatem vltus ſit Deus, quando fame enecati & miſerabiliter occiſi ſunt, qui pauperes ſuos adeò crudeliter neglexe-

rant: Quibus ſi ea quoq; addas exempla, quæ noſtro ſeculo vidimus, facilè patebit, quid nobis præterea expectandum ſit, niſi immane hoc flagitium emendemus.

**Cæcus quid fecerit.** Cæterum vt ad præſentis hiſtoriæ tractationem redeamus, cùm Bartimæus hic cõmunis cæcitatis noſtræ typum gerat, qui & ignari rerum & opis diuinæ indigi in hac lachrymarum valle ſedemus, videndum eſt quid ille fecerit, & quid nos facere oporteat, vt animis noſtris illuminati vitæ æternæ vijs inſiſtere poſſimus. Primò iuxta viam ſedens & inſolitum turbæ ſtrepitum audiens, quærit quis

**Luc. 18.** tanto cum comitatu tranſeat. Vbi verò Ieſum hunc eſſe audit, mox opem illius implorat. Vnde conijcitur, illum de hoc iam ante multa audiuiſſe, & inde ſalutis ſpe concepta omnẽ captaſſe occaſionem,

**Iſaiæ 11.** qua Chriſti beneficio reſtitueretur. Deinde inuocationis formula commemoratur, quæ fuit, Ieſu fili

**Ierem. 23. 30.** Dauid, miſerere mei. Dauidis filium vocans, promiſſum Meſſiam & humani generis redemptorem

**Ezech. 34. 37.** eſſe fatetur. Hunc enim olim prophetæ Dauidis filium, & nonnunquam Dauidem ipſum vocauère,

**2. Sam. 7.** eò quòd illum ex Dauidis ſemine naſciturum eſſe Deus promiſerat. Talem ergo cæcus hic agnouit, partim miraculorum fama, partim occulta ſpiritus ſancti ſuggeſtione edoctus, et proinde plus videt miſer hic, quàm Iudæorum ſcribæ & ſapientes vniuerſi, qui ſibijpſis oculatiſſimi videbantur. Cumprimis tamen obſeruatione dignum eſt, quòd nulla ſuorum operum aut iuſtitiæ mentione facta, ſolam Chriſti miſericordiam implorat: ita nimirum confitens, ſe nõ corpore modò miſerum, & quoad fortunas egenum, verumetiam animi viribus deſtitutum eſſe, & proinde in ſola Dei gratia omnem ſalutis ſpem collocatam habere. Accedit his conſtantia fidei ſingularis. Etſi enim turbæ illum increpent, è quibus fortaſſis alij titulo filij Dauidis offendebantur, alij indignum ſingulari Chriſti ope iudicabant, & nonnulli forſan iniquum putabant, Chriſtum plurium aliorum ſaluti intentũ vnius hominis cauſa interturbari: pergit tamen ille clamando, & eaſdem voces tam Chriſti quàm totius

**Vt nos illuminationem animorum quærere debeamus.** populi auribus ingerit. Proponuntur hæc nobis in exemplum, quod imitemur. Agnoſcamus ergo ipſi quoq; miſeriam noſtram, & ſalutis deſyderio inflammati, omnem eius acquirendæ occaſionem ſedulò captemus. Huius verò fiducia in ſola gratia Dei collocata ſit, ad cuius thronum per Chriſtum Ie-

**Ioan. 14.** ſum accedamus, qui ſolus eſt via & veritas, & qui idem ſalutem ſuo ſanguine partam nobis offert. Obſtabunt hic nobis non pauca, quæ fiduciã noſtram impugnent & remorentur. Obſtrepit enim mundus, è quo alij Chriſtum odio proſequuntur, alij verò ludibrio habent. Increpant iuſtitiarij hypocritæ, quia per fidei lucem ſuum honorem & quæſtum euerti vident. Terret mens male ſibi conſcia, & huius terrores auget auxilij optati mora ſiue dilatio. Sed aduerſus omnia hæc nobis eluctandum eſt, eoq; magis clamandum, quò plura nos impedire videntur. Nec enim conuenit, vt mundi iudicijs mo-

**Ioan. 15.** ueantur, quos è mundo Chriſtus elegit. Nec etiã eundem timere debent, qui Chriſto nomen dederunt,

**Matt. 16.** contra quem nec mundus nec inferorum portæ præualebunt. Cur autem iuſtitiariorum nugas audi-

**1. Corinth. 1.** ant, qui Chriſtum ſibi à Deo iuſtitiam factum eſſe ſciunt? Vel cur conſcientiæ terriculamentis ſuccumbant, quos ipſe Chriſtus adeò pacificè & amanter inuitat? Vel cur eos mora aut cunctatio Dei offendat, qui illi iudiciorum omnium rationem certò conſtare in ſcripturis audiunt? Quin ergo

**Habac. 2.** illum expectant, qui ſuos non vltra vires tentari patitur? Horum itaq; memores pergamus conſtan-

**1. Corinth. 10.** ter, nec irritus erit conatus noſter, ſicuti ex ſecunda hiſtoriæ parte diſcemus.

**Vt Chriſtus cæcũ illuminarit.** Sequitur enim quid fecerit Chriſtus, qui cæci huius clamores hucuſq; neglexiſſe videbatur. Primo ſubſiſtit, quod vt miræ bonitatis indicium eſt, ita docet quanta ſit vis fidei & orationis ex vera fide manantis. Poteſt hæc curſum iudiciorum Dei ſiſtere, & eiuſdem gratiam cohibere, ne à nobis diſcedat. Exempla ſunt paſſim obuia in ſcripturis, & faciunt huc cumprimis, quæ Chriſtus de

**Lucæ 18.** precandi aſſiduitate ſub iniqui iudicis & viduæ parabola admonet. Deinde iubet illum adduci. Atqui abſentem curare poterat, vt Centurionis famulum & regij illius miniſtri filium, de quo apud

**Lucæ 7.** Ioannem legimus. Sed docere vult, eos ad ſe accedere oportere, qui in illo illuminationis & ſalutis

**Ioan. 6.** beneficio frui volunt. Accedunt autem Chriſtum, qui verbum ipſius audiunt, & in hoc ſeſe nobis offerentem vera fide recipiunt. Hæc enim facit vt relictis omnibus carnis & mundi huius ſtudijs, animos in cœlum ſubuehamus. Non mirum ergo, quòd hodie pauci illuminantur, cùm plerique Chriſtum adire nolint, adeoq; iniquius ſecum agi putẽt, ſi vel veteres ſuperſtitiones, vel priſtina ſua ſtudia re-

**Lucæ 9.** linquere, & Chriſtum omnibus quæ in mundo habent, præferre iubeantur. Multi item, vbi aliquò

**Num. 11.** vſq; progreſſi ſunt, à tergo reſpicere ſolent, & cum Iſraelitis ad Ægypti ollas redire cupiunt. Atque

eiuſmodi

eiuſmodi cultores requirit Deus, qui ipſius voce excitati, ad ipſum ſancta fide accedant. Tertiò ad ſe
adductum, quid ſibi fieri velit interrogat. Poterat hoc ridiculum videri, ſed non temere quæſtionem
hanc motam fuiſſe patebit, ſi mendicorum mores conſyderes. Sunt enim inter hos pleriq;, qui curari
nollent, cùm ex morbis quæſtum faciant, adeoq; morbos interdum ſimulent. Quos egregiè imitantur,
qui per veritatis lucem illuminari nolunt, eò quòd vel ex ſuperſtitionum tenebris lucrum captant,
vel peccatorum cœno delectantur, & talparum inſtar luſtra libidinis & auaritiæ radiantibus regni
cœlorum palatijs longè præferunt. Adhæc fidem huius innoteſcere voluit Chriſtus, vt omnibus con-
ſtaret ab ipſo non ſtipem quæri, ſed maiora, quàm ab homine vulgari peti debeant. Addit poſtremò:
Abi, fides tua te ſeruauit. Nec mora, viſum recipit qui cæcus hucuſq; fuerat. Diuina ergo virtute
illi medetur, ſimulq; medium quo ille hanc amplexus eſt, exprimit: Fidem nimirum, quæ vna &
Chriſtum & quæcunq; in hoc nobis Deus offert, amplectitur. Fide enim illuminati ea apprehendi-
mus, quæ captum noſtrum ſuperant: quis nimirum ſit Deus, quæ eius voluntas, quæ regni ipſius con-
ditio, quæ deniq; ſalutem aſſequendi ratio vera ſit & infallibilis. Inquiſiuerunt hæc omnibus ſeculis
quotquot ſibijpſis ſapientiæ aut ſaltem ſtudij eius laudem & titulũ vendicarunt. Quàm parum verò
profecerint, illorum libri teſtantur, qui præter inanes argutias nihil continent. In ſolo enim Chriſto, Heb. 1.
qui expreſſa patris imago, & gloriæ ipſius ſplendor eſt, iſta innoteſcunt: qui cùm fide ſola appreben-
datur, per hanc quoq; ſolam nobis lucem illam animarum obtingere abunde conſtat. Huius igitur
ſtudium ſectemur, & per Chriſtum illuminabimur, extra quem tenebræ pluſquàm Cimmeriæ ſunt,
quæcunq; homines ſibijpſis fingere conſueuerunt.

Reſtat poſtrema hiſtoriæ pars, vt oblatum à Chriſto beneficium cæcus iſte exceperit: vbi tria no- Vt cæcus illu-
bis obſeruanda veniunt. Primùm, vocatus exilit, & pallio quoq; relicto ad Chriſtum feſtinat. Eſt minationem ex
hoc magnæ fidei & zeli flagrantiſſimum argumentum, quo (vt antea quoq; monuimus) in ſalutis ne- ceperit.
gotio cumprimis opus eſt, ne videlicet ijs detineri nos patiamur, quæ à Chriſti regno nos auocare poſ-
ſunt. Sunt ea quæcunq; carni noſtræ adlubeſcunt, aut etiam neceſſaria videntur. Vbi ante omnia ſano
& recto de rebus huius ſeculi iudicio opus eſt: quæ omnes ſimul nil niſi cento, & huius mendici pallio
viliores ſunt. Nam vt animi dotes inſpiciamus, quæ ex peccato nobis adhuc reliquæ ſunt, quid obſe-
cro in illis certum eſt & ſolidum? Annon in pleriſq; caro noſtra cæcutit & fallitur? Annon fortiſſi-
morum quoq; hominum vires labaſcunt? Annon iuſtitiæ noſtræ omnes apud prophetam centonibus Iſaiæ 64.
& pannis menſtruæ mulieris conferuntur? Quid verò de gloria, nominis fama, hominum fauore &
opibus dicere attinet, quibus nihil in rerum natura magis fluxum atque caducum eſt? Omnis caro
fœnum (dicit propheta) & omnis gloria eius ſicuti flos agri. Exaruit fœnum, & flos decidit, verbum Iſaiæ 40.
autem Domini Dei noſtri manet in æternum. Quid ergo iſtis inhæremus? Quin relictis omnibus
Chriſtum vocantem amplectimur, in quo ſapientia vera, iuſtitia ſolida, robur animi inuictum & cum
his gloriæ etiam cœleſtis æterni theſauri nobis conferuntur? Sed carnis iudicio dementamur, quæ res
inutiles & noxias maximi facit & deperit.

Secundò, quid ſibi fieri velit, rogatus, non aliud quàm oculorum vſum ſibi reſtitui poſtulat. Pro
eo igitur Chriſtum agnoſcit, qui cæcis illuminandis in mundum venerit, ſicuti olim ab Iſaia fuit præ-
dictum. Diſcamus hoc exemplo, ipſi etiam ea quæ ad veritatis cognitionem & animarum ſalutem fa- Iſaiæ 35. 61.
ciunt, in Chriſto quærere. Si enim corporis lucem tanti fecit cæcus hic, vt de mendicitatis miſeria vix
cogitarit: quantò pluris vera illa et cœleſtis animarum lux fieri debet, ſine qua noxia nobis ſunt, quæ-
cunq; alia in mundo habentur? Eſt hæc optima illa pars, quam Maria olim elegit, quamq; ſolam Luc. 10.
Chriſtus neceſſariam eſſe ait. Sed ô turpem & præpoſteram hominum cupiditatem, qui ſolis terrenis
intenti, cœleſtia & æterna bona ferè negligunt, &c.

Poſtremò, viſu recepto Chriſtum ſequitur in via, glorificans Deum, vt Lucas monuit. Non tam Illuminatorum
corpore ergo quàm animo illuminatus fuit. Rurſum verò officij admonemur, vt per Euangelij ver- officia.
bum illuminati, relictis mundi ſtudijs, Chriſtum ſequamur, & per Dei vias ambulemus, quas ille no-
bis in ſcripturis commonſtrat. Pertinet huc tota vitæ conuerſatio, fidei confeſſio, cultus externi pu-
ritas: quorum omnium hic nobis finis & ſcopus eſſe debet, vt in nobis glorificetur Deus pater per fi-
lium ſuum Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in
æternum. Amen.